IVSTI LIPSI DE MAGISTRATIBVS VETERIS POPVLI ROMANI ET DE VETERI SCRIPTVRA Latinorum libelli posthumi:


Quibus in Gallorum gratiam additi VINCENTII LVPANI *de omnibus Francorum magistratibus Libri duo.*





TVRNONI

Apud CLAVDIVM MICHAELEM Typograph. Vniuersitatis. 1610.





NOBILISSIMO, CLARISSIMOQVE VIRO, D. CLAVDIO D'EXPILLI, Regio in Curia Grationopolitana Aduocato.



VI tuam in tuenda magiſtratus authoritate ſapientiam, qui in rerum antiquarum cognitione eruditionem, qui in doctorum hominum monumentis è ſitu, & puluere eruendis non vulgarem diligentiam exploratam habuerit; mirari deſinet,

cur de magiſtratibus, tum Romanis, tũ Gallicis; libelli duo omnigena eruditione referti, à doctiſsimis viris elucubrati, ſed parum Gallis familiares, te potiſsimum adire præoptarint, vt eos à genuino inuidiæ dente vindicares. Te aſſertorem ocellus charitum, muſarum corculum, magnum ſæculi noſtri ornamentum Iuſtus Lipſius *per poſthumã hanc prolem quærit: te Pariſienſis Curiæ eximium decus Vincentius Lupanus ſibi vindicem, & patronum deligit: ille Romanæ Reip. amplitudinem, hic Gallicæ maieſtatem, oculis ſubijciet intuendam. Quæ à nobis in vnum eo animo ſunt coagmentata, vt ex hac cõtentione maior Gallorum dignitas effloreſcat, qui in magiſtratibus conſtituendis antiquis illis minimè conceſſe-*

runt: cum enim ille Iusti Lipsij libellus in meas manus nuper incidisset, & ab ipso authore, quem orbis suspicit vniuersus, & ab opere, quod Iuuentuti (cuius emolumentis omnis nostra sudat industria) imprimis vtile, magnam tulit commendationem: id vnum ægre me habebat plura non esse ad manum exemplaria, multorum vt cupiditati facerem satis. Re igitur cum amicis communicata, id vt prælo subijcerem authores fuerant; ita tamen vt non pœnitenda ad ipsum fieret accessio; duorũ scilicet libellorum de Francorũ Magistratibus, tum Paludatis, tum togatis, qui à Vincentio Lupano iampridem magna cum cura elaborati, sed temporum iniuria propemodum ex hominũ memoria erant obliterati: neque enim

eorum vnquam institutum probaui, qui ita in externorum ritibus perscrutandis inuigilant, vt domesticos licet illustriores respuant, audiāt saltem illi tritū vulgi ore prouerbium: Spartam tuam exorna. *Quod vt præstēt noster hic hortatur labor, qui si alicui erit non iniucundus tua V. C. faciet authoritas. Te enim in tuo foro iudicem appellant, amplissimum nempe magistratum gerentem, duo de magistratibus libri, ab eo Galliæ nostræ communicati, qui corde & animo tibi est addictissimus cliens.*

Guillelmus Linocerius.

IVSTVS LIPSIVS.
PIVS STILI VSVS.

NOn te ſola Themis decorat, non ſola Sophia,
Sola nec Aoniis Pallas amata viris,
Sed magè te Pietas cælo gratiſſima, LIPSI,
Et ſincera beat cum Pietate Fides.
Hinc mentiſq; STILIQ́; *tibi* PIVS VSVS; *& alma*
Virginis hinc ſcriptis facta ſtupenda tuis
Excipis, & calamo tradis memoranda fideli,
Quæ vigiles Hallæ, Collis & aſper habent.
Iure igitur ſuperâ Diuorum ſede receptum,
Te lateri Virgo iungier alma cupit.

Laurentius Beyerlinck.
Antuerp.

Alius.

IVSTVS LIPSIVS.
IPSVS 'ST LIVIVS.

LIVIVS IPSVS *eram, ſed littera defuit vna,*
Heu nimis atroci littera rapta manu!
Nam roſei primas vt carpſi luminis auras,
E mihi ſurripuit de tribus vna ſoror:
De tribus vna ſoror, furuâ quæ nocte creatæ
Ducunt barbatâ noxia fila colo.
Surpuit heu! & certa fides: Eroſtia namq;
Inde fuit puero duráque diua ſeni.
Illa meum limen ter deſpuit, illa penates
Sardoi duxit ſideris eſſe meos.
At ſatus Iapeto, ſi de meliore metallo
Finxiſſet fabrâ Lipſia membra manu,
Si melior ſanguis fuerat, ſi longior ætas,
Nec mors Pegaſeo tam properata gradu;
Quod mea ſcripta docent, Muſæq; turba fatetur,
Ipſe adeò Liuor; LIVIVS IPSVS *eram.*

Franciſcus Svveertius F.



ERYCI PVTEANI IN IVSTVM LIPSIVM PIETAS,

BREVI NÆNIA expressa.

LÆTAM, *Musa, Lyram doloris vdo*
Conde murmure: Tibiámque prome
Aptam lugubribus Sacris, modisq́3.
Læsæ PIETAS *obire mentis*
Suadet officium, FIDESQVE *suadet,*
Mœstâ Voce, Stilóque. nam suëtas
Odit delicias Loquela; amatas
Odit delicias Tabella, & ægris
Vrgetur lacrymis. nec est Tabella
Bella hæc, aut lepida: at Feraliorum

Atrâ imagine vulnus, atque funus
Refert, heu! miserum atque luctuosum.
IVSTVS LIPSIVS *occidit, virorum*
Ille Maximus Optimúsque; Musæ,
Et Suadæ, & Sophiæ decus vetustæ;
Ille MORIBVS *inclytus* VETVSTIS:
Orbum lumine qui reliquit orbem,
Orbum numine qui reliquit orbem.
Lumen nam fuit ille Litterarum,
Numen & fuit ille Litterarum:
Ipse, Musa, Minerua, Süada, Apollo.
Heu! THALESQVE *meus, Paterq́; sancto*
Doctrinæ melioris instituto.
Duram heu præcipitis necessitatem
Fati! quæ violenter æuiterni
Carpit exuuias Viri Deiq́;,
Carpit exuuias mei THALETIS.
Quis desiderio pudor modúsve
Tam cari capitis, Viri Deique,
Tam cari capitis, mei THALETIS?
Largo proluitur dolore pectus,
Largo proluitur dolore cera;

Et

Et sulcos tremuli stili frequentes
Pressi stillæ animi replent, PIVMQVE
Laborem violant. Quid ergò? cesso:
Nec totum Tabula hauriet dolorem.
Vos mecum querulam mei SODALES
Vocem fundite, quotquot estis, omnes:
IVSTVS LIPSIVS *occidit, virorum*
Ille maximus Optimúsque, Músæ,
Et suadæ, & Sophiæ decus vetustæ.

Ad



Ad Maximum Æmilianum Vriendtium

De Morte C. V. Ivsti Lipsi.

ECquis, Maxime, *quis modus doloris?*
Quis finis lacrymis Simonidæis?
Quæ torrentibus ambulant per ora
Insolabiliter, cadúntque guttis
(Heu) vagrandibus ac perennè densis.
Busta Lipsia, Lipsios *amores*
Vsque & vsque sonas; & vsque & vsque
Ocellos nebulas, & inquieta
Longo pectora concoquis dolore:
Mox desioculúsque lacrumando,
Et desianimus dolendo fies.
Quare desine, quæso, lacrymarum;
Ecquid te teris, ecquid eme dullas?


Iuit

Iuit LIPSIVS, ibimúſque cuncti.

Si probus fuit, & fuit pudicus,
Nec vanus Heliconidum Sacerdos,
[Sed probus fuit, & fuit pud cus
Et ſanctus Heliconidum Sacerdos]
Iam nunc ſidera calcat, & ſuperbum
Felix ſub pedibus terit Olympum.
Quare ſit modus improbo dolori,
Et iuſtas lacrymæ audiant habenas;

Iuit LIPSIVS, ibimúſque cuncti,
Mori Chriſticolis piis, probiſque,
Non eſt, crede, perire, ſed præire.

B. B.



Ad eundem Maximum Vriendtium de Cl. V. IVSVI LIPSI scriptis.

IVSTORVM *amantur* LIPSANA
Si busta quæ fallunt nigra:
Nos IVSTI *amemus* LIPSANA
Post fata quæ liquet sua.
Sed LIPSII *quæ* LIPSANA?
Chartæ disertæ, MAXIME,
Chartæ elegantes, masculo, &
Chilonio scriptæ stylo,
Zenonioque pectore;
Nec inficetæ ceu Baui,
Aut caprimulgi Mæuij,
Sed vel Maronis auribus
Vel Tullio dignæ legi,

Graio

Graio ſalino, & Italis
Tincta affatim leporibus:
Quas docta Carmentis ſuas
Non nòlit, & Plato ſuas;
Quas cana pennipes Anus
Dea Centilinguis prædicat
Poſt æra victuras diu,
Libanitidéſque poſt cedros.
I nunc maligne LIVOR, *i,*
Vbi æra fulua triueris,
Duráſque roſeris cedros,
Tum LIPSIVM *rodas licet.*

B B.

In LVCIFVGAM pios Magni LIPSI MANES impiè sollicitantem.

QVI placidos audes Manes incessere LIPSI
Inq; sacras vmbras impius arma moues:
Cur quoq; nõ audes scelerate tuũ edere nomẽ?
Tutus an à Furiis sic abiisse putas?
Falleris, Eumenides sua habent oculata flagella,
Effugere improbitas quæ nocua vlla nequit.
Quin & Pieridum, Sophiæq; sagacis alumni,
Quamlibet ignotũ turbinis instar agent,
Indicentq; tibi ficto sub nomine bellum;
Quale ego, cui (fungus sim licet) Ibis eris.
Nempe suum Diris deuouit vt Ibida Naso:
Sic mihi tu Stygiis sis sacer vsque Deis.

Ius laude coronat.



IVSTI LIPSI DE MAGISTRATIBVS VETERIS POPVLI Romani.

Capvt. I.

DIVISIO HONORVM. quid Dignitas propriè, Potestas, Magistratus. Etymon nominis.

DE Magistratibus dicturus, vt id dilucidè & compositè possim, *de honore*, eiusque discrimine, quædam libabo. *Honorem* heîc *publicum* intellego: quem *ius* definio, *titulumq́; supra cæteros, lege aut more concessum.* Is du-

plex; *Diuinus*, aut *humanus*. *Diuinus*, qui ad ſuperum, cæleſtemque cultum pertinet: cui *pietas & religio* finis. Quo in genere *Sacerdotes*. *Humanus*, qui curam adminiſtrationemque tangit rerum humanarum: cui *ſalus & vtilitas publica* finis. Quo in genere multa cenſentur: *Dignitas*, *Poteſtas*, *Magiſtratus*. *Dignitatē* appello, auctoritatem in ſuadendo, cōſulendo, decernendo; qualis *Senatorum & Iudicum*: *Poteſtatem*, ius legitimum regendi, iubendique extra vrbem & eius fines, vt ſunt *Imperia & Præſidatus*: *Magiſtratum*, ſimile ius, ſed in vrbe ipſa. Hi limites & diuiſio ex veterum mente & vſu: etſi miſceri interdum ſcio, & omnem ferè honorem venire in nomē Magiſtratus. Ita Ariſtoteles largè & laxè ἀρχὰς definit lib. 4. πολιτικῶν: ὅσαις ἀποδέδοται βουλεύσασθαί τε περὶ τινῶν, καὶ κρῖναι, καὶ ἐπιτάξαι, καὶ μάλιστα τοῦτο: etſi poſtrema parte iterum adſtringens. Et latini etiam Scri-

Scriptores confundunt, qui *Pro-consules & Rectores Prouinciarum* Magistratus passim appellant. Nomen Magistratus *à magistro* dictum. *Magister* autem, cui magis cæteris potestas. Festus in voce, Magister. Olim *Prætores* dicti videntur ab eo, quod ceteris honore preirent. Ita Consul Prætor dictus: & in prisca lege apud Liuium lib. 7. *Prætor maximus clauum pangit.* Itaque non absurdè Varro lib. 4. De lingua latina, qui natum Magistratus nomen incidat post Dictaturam & Magisterium equitum. *Reliqui,* inquit, *quòd minores, quàm magistri, dicti magistratus, vt ab albo albatus.*

DE VARIA DIVISIONE Magistratuum.

CAPVT II.

MAGISTRATVVM autem genera & discrimina plura. Aut enim

à temporibus diuiduntur : vt *ordinarij*, *extraordinarij*. *Illi* dicti, qui statis temporibus & semper in Rep. essent, vt *Consules*, *Prætores*, *Ædiles*, *Tribuni*, *Quæstores*. *Hi*, qui nec eodem tẽpore, nec semper, vt, *Dictatores*, *Censores*, *&* *Interreges*. Aut *à personis* discriminantur : vt *Patritij*, *Plebeij*, *Mixti*. E quibus primi dicti, quod solis patritiis patent: vt *Interregnũ*. Alteri, qui soli plebi: vt *Tribunatus plebis*. Postremi, qui cuique ordini: vt *cæteri omnes*. Aut *à qualitate* agnominantur: vt *maiores* & *minores*. Idq; sensu duplici. *Aut* enim maiores minorésue magistratus dicuntur, qui auspicia maiora minoráve habent: de quibus Agellius lib. 13. cap. 14. *aut* quorum potestas imperiúmve maius minùsve. Aut denique distingũntur *ab insignibus*, in *Curules* & *non Curules*. *Curules*, quibus ius est Sellæ: vt *Dictator*, *Consul*, *Censor*, *Prætor*, *AEdilis Curulis*. *Non Curules*, quibus minimè: vt *cæteri omnes*.

DE IIS, QVI APTI AD QVOSQVE MAGISTRATVS: & series temporum, qua paullatim plebeij ad omnes magistratus admissi.

CAPVT III.

DIVISIONI non ineptè iungam de iis, qui apti ad quemque magistratum. *Aptitudo* autem duplex: *à gente, & ab annis. A gente* olim maximè, quod solos *Patritios* admittebât ad magistratum. A Romulo id institutum, qui, authore Dionysio, sanxit: *τοὺς εὐπατρίδας ἱερεύειν τε καὶ ἄρχειν καὶ δικάζειν.* Cui tamen legi in libertate non diu locus. Nam statim an. 16. post Reges exactos violari cœpta, cum nouus Magistratus è plebe creatus, hoc est, *Tribunus*, & paulatim carpsere eam Tribuni & plebs: donec corruit tota series & ordo iste Primum

Quæstores è plebe creati, anno Vrbis 341. Liuius lib.4. Inde *Tribuni militum*, Consulari potestate, anno 353. Nec diu pòst *Consules* ipsi, anno 388. Tum *AEdiles Curules*, anno vno pòst: *de quibus conuenerat* (ait Liuius lib.7.) *vt alternis è Plebe crearentur: posteà promiscuum fuit.* Inde ad caput ipsum magistratuum transgressi, *Dictatorem* è plebe creauerunt, anno 348. etsi *Magister equitum* iam antè plebeius fuerat, anno 385. Denique *Censuram* etiã fecerunt communem, anno 404. eodem illo plebeio Censore, qui & Dictator, Postremò, ne quid intactum aut inaccessum plebi, *Prætura* iis communicata, anno 417. Ita sòla *Interregia potestas* apud *Patres* mansit; vmbra potiùs, quam verus Magistratus.

DE

DE APTITVDINE AB ANNIS: ET *QVANDO ANnalis lex lata.*

CAPVT IV.

AT aptitudo altera ab Annis: quam vtiliter sanxerunt, etsi tardè. Nam *apud maiores* (inquit Tacitus lib. 11.) *virtutis præmium id erat, cunctisq́ ciuium, si bonis artibus fiderent, licitum petere Magistratus: ac ne ætas quidem distinguebatur, quin prima iuuenta Consulatũ & Dictaturas inirent.* Sed mutatum id anno V.C. 573. cũ re ipsa docti viderent, modum aliquem & limitem constituendum ambitioni & calori iuuenili. Itaque *tum primùm* (verba Liuij li. 40.) *rogatio lata ab L. Iulio Tribuno pl. quot annos nati quemque magistratum peterent, caperéntque.* Inde cognomen familiæ inditum, vt *Annales* appellarentur. Dixi, *ab Lucio Iulio*: & ita libri.

At Iulios etiam plebeios fuisse scimus, Antonio Augustino docente in lib. De familiis Romanis. Tamen alij Villium heîc in Liuio malunt, itemque in Cicerone, libro 8 Epist. Sed hoc leue: Magis nos torquet de tempore latę legis, quod Liuius tam disertè scripsit, inquiens: *Tu primùm.* Quod tamen idē ille euersum it, lib. 25. vbi de Scipione Africano multis ante Iuliam legē annis scribit: *Huic ædilitatem petenti cum obsisterent Tribuni, negantes rationem eius habendam, quod nondum ad petendum legitima esset.* Ait legitimam ætatem ei non fuisse. Quid ergo clarius, quàm etiam tunc latā de ætate? Et profectò, aut per errorem confusionemque nominis & hominis, id scripsit Liuius, Scipioni Africano tribuens, quod Æmiliano postea euenerat (de quo Appianū in Libycis vide, & Valerium Maximum lib. 8.) aut fateamur necessum est, parum cautè scriptum esse in

in loco altero, *latum à Iulio primùm.* Et fortaßè per partes iam antè de quibusdam magistratibus ferri cæptum, quæ omnia lex Iulia iunctim complexa erat: cęteras velut aboleuit. Heîc iuuat aliquìd Cicero, qui leges Annales multitudinis nomine appellauit, Philippica V. *Legibus annalibus* (inquit) *cùm grandiorem ætatem ad Consulatum constituebant, temeritatem adolescentiæ verebantur.* Et Oui. 5. Fast.

——finitáque certis
Legibus est ætas, vnde petatur honos.

Hæc lex alio nomine *Annaria* dicta. Festus in ea voce; & Lampridius in Cōmodo: *gratia annariæ legis impetrata Consul est factus.* Dicta etiam est magis nouè *Comitialis*, à Latino Pacato in laudatione Theodosij; scilicet, quia modum frenumque Comitiis daret.

MAGIS DISTINCTE DE ea lege: & qui anni cuique magistratui legitimi.

CAPVT V.

SED quę ętas propriè definita hac lege cuique Magistratui fuerit, iure quæram nec facilè inueniam. Tenebrosus enim locus, & in quo cum nihil aut parum expressi sit: lustramus eũ per ancipites cõiecturas. Atque vt à *Quæstura* ordiar, adeò de ætate eius nihil certum, vt sint viri magni, qui eá prorsus tollant Dux iis Paulus Manutius, qui negat Quæsturæ, Tribunatui, Ædilitati plebis definitam illam ætatem: legemque Annalem spectasse tantum ad Curules Magistratus. Parùm verè. Quæsturæ enim clarissimè Quinctilianus certum annũ attribuit libro 12. *Caluus, Cæsar, Pollio, multò ante Quæstoriam ætatem, grauissima indi-*

iudicia susceperunt. Spartianus in Iuliano: *Quæstor ante annum, quem legitima ætas finiebat, designatus est.* Tacitus III. Annal. Vt *quinquennio maturiùs quàm per leges, Quæsturam peteret.* Suetonius item in Caligula, cap. 1. Plutarchus in Catone Vticensi. Quem annum Nicolaus Grouchius XXVII. fuisse vult: ego (vt arbitror) firmiùs, XXV. Argumentor primùm à rationibus: quia tunc compleri virilem vigorem constat, vt ait Vlpian. l. 1. ff. de minor. Ideoque iure apti censentur ad res politicas & priuatas. II. Ab auctoritate: quòd Dio Cassius Senatoriam ætatem XXV. anno definit. At Quæstura primus gradus in Senatum, Adde l. 2. de minoribus: quæ subtiliùs considerata adstruit hoc æuum. Denique argumentor etiam ab exemplis: quoniam reperio Tiberium Gracchum intra tricesimum extinctum, & eundem tamen Quæstorem fuisse, C. Man-

cino Cos. circiter quadriennio ante mortem: Gesserit ergo Quæsturam necesse est, anno xxv. Lego & Tyberium Cæsarem Quæstorem designatũ vndevigesimo ætatis anno. Patercul. lib. 2. At creatus est quinquennio maturiùs, quã per leges. Tacit. 3. Annal. Dio. lib. 35. Ergo fas, petere Quæsturam xxiv. anno, & xxv. gerere. Sed nodus heîc aliquis in Polybij loco, lib. 6. negantis vllũ vrbanum magistratum capi fas fuisse ab eo, qui non decem annos militasset. Militare autem Romani xvii. demum anno incipiebant. Non ergò priùs pertingere poterat ad Quæsturam.

Dupliciter hoc soluo. Primò, vix credibile esse, omninò ratam ac firmam in Repub. fuisse legem Polybianam illam siue morem. Quis enim prętere a meminit? Et tamen vt fuerit, capiendã non de militiâ coactâ, vt ex dilectu, sed volũtariâ. Nam quòd Gracchus xvii. annũ militię

litię finiit, id ab ea mẽte eſt, vt nemo inuitus legi in militẽ debuerit ante id tẽpus. Sed nihil tamen impedit, nobiles & eos qui alebantur in ſpem honorũ, militiæ & caſtris iam antè interfuiſſe: qui morem immò habuerũt, vt ſtatim à togâ purâ, hoc eſt, virili, militiam auſpicarentur: idq; in contubernio & velut cuſtodiâ viri alicuius illuſtris. Velleius de Pompeio id tradit lib. 2. Liuius de Scipione Africano libro 22. & paſſim exẽpla. De Quæſturâ vltrâ non inuenio.

De Tribunatu & AEdilitate videamus: quarum anno volunt item (fruſtra) incertos. Quæ enim ratio eſt, vt Quæſturæ, quæ minor eſt Magiſtratus, ſua ætas fuerit; nulla maioribus iſtis? Immò fuit. Et *de AEdilitate* clarè Latinus Pacatus: *Annorum* (inquit) *ita cura fuit maioribus, vt non ſolùm in ampliſſimis Magiſtratibus adipiſcendis, ſed in Præturis & AEdilitatibus capaſſendis ætas ſit ſpectata pe-*

ta pe-

ta petitorum: nec quisquam tantum valuerit nobilitate, vel genere, qui annos Comitiali lege præscriptos destinatis honoribus occupauit. Et quamquam firmi admodum aut fixi nihil reperi: tamen attribuam fidenter Tribunatui, siue Ædilitati, annum 27. aut 28. Certè quidẽ annum xxx. includã, quòd is Præturæ fuit, vt dicam. Atq; hoc de vtraq; Ædilitate sentio: etsi in Curuli valdè à nobis dissentiant viri docti. Annũ enim ei xxxvi. definiunt, quod miremur. Cur enim probabile, tantum otiosi interualli fuisse inter Quæsturam & Ædilitatem? Ciceronis locus, qui eos omni hac re extra viam eiecit, nõ mè mouet. Nam cùm pro L. Maniliâ scribit: *Quid tam singulare, quàm vt ex Senatusconsulto legibus solutus Consul antè fuerit, quàm vllum alium magistratum per leges capere licuisset?* non ego sanè ad ætatem retulerim, sed ad ordinem & modum. Si enim

de

de ætate, & hoc Cicero vult, eo anno factum Pompeium Consulem, quo per Annales nullum magistratum capere ei fas: sequitur vt ante xxxiv. annum (nam eo æuo factus Pompeius Consul, ex Appiano) locus etiam non fuerit Quæsturæ, aut Tribunatui: quod vanum. Sed intellegit, inquiunt, Curulem magistratum. Quis dicit? Nec adhæream ego tam infirmæ coniecturæ. Verius omninò est, mentem Tullij hanc esse: Pompejum factum Consulem, cùm nec illum, nec alium magistratum capere posset: vel quòd nõ legitimè professus; vel potiùs, quia Eques adhuc Romanus, & nondum Quæstor. *Lex* autem *Cornelia* trãsire ad vllum magistratum vetuit, Quæsturâ nõ gestâ. Minùs verò me turbat, quòd exempla adferant eorum, qui gesserint Ædilitatem post xxx. annum, Ridiculum. Scimus enim nullam legem annalem vetuisse, ne quis post legiti-

gitimum annum peteret, gereret: ſed ne ante eum. Itaque Conſules etiam & Prætores multi facti anno L. & poſt illum. Ea veriſſima ratio. Deniq; pauci feſtinabant ad hos minores magiſtratus: quòd celeritatis eius modicus fructus; & grande nihilominus ſpatium intererat ad Conſulatum, id eſt, ad honorum metam. *Prætura* nunc ſequitur, cui annū tribuunt xxxix. petendæ, xl. gerendæ: haud alio argumento freti, quàm illo de biennij interuallo. Itaque iure ambigo. Nam Dio. Caſſius annum xxx. Præturæ dat, lib. 32. *Quæſturâ functi & Ædilitate, ſiue Tribunatu, Præturam accipiant tricenarij.* Sed excuſabunt, quòd id ſub Principibus, quos legem Annalem laxâſſe non nego. Sed quid tamen de M. Bruti facto dicent, quem Prætorem reperio anno ætatis xxxv. Nam vixit in vniuerſum (vt Vellejus tradidit) annos xxxvij. atq; biennio ante mortem eū Prçturam geſ-

gessisse cum Cassio, satis constat: & nisi Bruti ingenium me fallit, iuxta leges. Itaque ad hunc annum Præturæ finiendum labar non inuitus.

Consulatus reliquus est, cuius ætas extra omnem litem. Cicero enim clarè nimis firmat Philip. V. *Quid Alexander Macedo? qui cùm ab ineunte ætate res maximas gerere cœpisset, tertio & trigesimo ætatis anno mortem obiit: quæ ætas nostris legibus* 10. *annis minor, quàm Consularis.* Est ergo Consularis annus, si arctè Ciceronis verba capis, xliij. siue xlij. si benignè & magis ex vero. Satis enim fuit attigisse xlij. annum: vt docent exempla crebra. Grauis ergo ista ætas; quippe in Imperio & Magistratu grauissimo: quam tamen adeò mutato Reip. statu Principes neglexêre, vt Dolabellā Cōsulem Cæsar creârit annos natū xxv. & postea etiā aliqui vicenarij facti, ex l. vnica, de officio Cōsulum, & l. 20. de ma-

numiſſis. Quâ licentiâ in omni alio magiſtratu Principes pro arbitrio vſos, moneo ſemel.

De ordinariis Magiſtratibus dixi: *Extraordinarij* ſuperſunt: qui tamen, neſcio, an lege comprehenſi, etſi *de Dictore*, & *Cenſore* non difficile iudicium eſt: quia creati plerúmque è Cóſularibus, more tamen potiùs, quàm lege. Sed & *Interrex* plerũq; ex honoratiſſimis Senatus.

ANNALEM LEGEM ETIAM in prouinciis aliquam fuiſſe: item Romæ in Senatu & Equite: & aliæ quædam L L. quæ huc referuntur.

Capvt VI.

HÆc vtilis illa, & ſalutaris lex Annaria, cui locus etiam *in Municiptis* &

& *Coloniis*, etsi annorum aliquâ diuersitate: quam in parte haurire est ex Plin. lib. 10. Epist. ad Trajanum. Sed & ætas Romæ spectata etiã *in Senatu* sub Principibus. Ideóq; *Senatoria ætas* Tacito nominata lib. 15. Annal. *Viuianus Annius gener Corbulonis, nondum Senatoria ætate.* Immò & in Equite. Definit Dio vtramque *Allegere*, inquit, *in equestrem ordinem oportet annos natos* 18. *In Senatum, natos* 25. Quod Romani videntur à Græcis sumpsisse, cùm apud Athenienses fuerit ἡλικία βȣλευτική. Et apud Spartanas lege Lycurgi in Senatum nulli aditus, nisi sexagenario. Addo breuiter, & adtexo leges Annali haut dissimiles, quæ de ordine magistratuum cauebant, aut interuallo: vt fuit *Lex Cornelia*, quæ vetuit Præturam ante Quæsturam, & Consulatum ante Præturam. Appianus lib. 1. Ciuil. Quod ipsum tamen etiam in morem antiquis fuisse Liuius ostendit, lib.

21. de Conſulatu Flaminij. Item *Lex priſca de interuallo*, quæ vetuit magiſtratum eundem iterare, niſi decennij interuallum interceſſerit. Liu. lib. 7. ſub finem. Quæ cùm negligeretur à Sullâ Dictatore, vt commemorat idem Appianus, relata eſt. Sed ſic quoque ſæpius ſpreta: cùm mos inualuiſſet, vt homines gratioſi legibus per Senatum aut Populum ſoluerentur.

DE CONSVLIBVS NOMIna eorum, Inſtitutio, Poteſtas, & Munia.

CAPVT VII.

SEd vniuersè de Magiſtratibus ſatis dixi: quemadmodum quæ ad Comitia, & quæ ad Renuntiationem ſpectãt, aliis ſcripta. Nunc diſtinctè explicabo ſingu-

ſingulos, initio ab eo magiſtratu facto, qui initium cæteris; quẽ triplici nomine appellarunt: *Prætorem, Iudicem, Conſulem.* Cicero benè recenſuit: illique à præeundo, iudicando, conſulendo, Prætores, Iudices, Cõſules appellantur: benè, inquam, & ordine. Nam primò *Prætores* dicti; quod nomen, etſi commune omnibus imperiis, tamen velut per excellentiam adhæſit iſtis. Feſtus: *Initio Prætores erant, qui nunc Conſules.* Iuſtin. Nouell. 24 & 25. *Eſt enim*, inquit, *Prætoris nomen Rom. Imperij proprium: & ante ipſos etiam Cônſules, in veteri atque præclara Reipublicæ conſtitutione vſurpatum.* In 12. tabb. exemplum eius vocis reperio cũ: iubent (apud Plin. lib. 18. c. 3.) *Impubem Prætoris arbitratu verberare*, hoc eſt, Conſulis: quoniam tũc certè nondum creatus Prætor. Itaque Liu. lib. 3. anno ipſo poſt 12. tabb. ſcriptas inquit: *His temporibus nondum Conſulem, iudicem; ſed*

Prætorem appellari mos fuit. Nec falsò à Zonarâ traditum. Prætoris nomen mãsisse vsque ad Decem viros: iisque exactis, Consulis nomen demum irrepsisse. Etsi mallem dixisset, *Iudicis*: quod ex Liuio antiquius sanè est Consulatu. Dicti autem *Iudices*, à præcipio munere: quòd vt olim iudicia omnia in manu Regum; sic postea Coss. fuere, donec translata eam in parte ad Prętores. Exéplum huius appellationis in priscis cõmentariis est apud Varronem 5. de ling. lat. *Omnes Quirites visite huc ad Iudices.* Id nomen antiquatum & abolitum demum crediderim post Prætores, hoc est, proprios iudices creatos; & tunc inualuisse nomen *Consulis*: de cuius etymo varia opinio, nec inscita. Sunt qui à fine deriuent: quia eius est consulere & prouidere ciuibus. Sunt qui ab officio: quòd consulit, hoc est, rogat Senatum. Sunt qui à iudicando interpretentur: quod
in

in solo tantùm Quintiliano mihi lectū. *Sitne Consul*, inquit, *à consulendo, an iudicando. Nam, & hoc consulere veteres vocauere. Vnde remanet illud: Rogat benè consulas hoc est, iudices.*

E quo triplici etymo primum popularius, tertium subtilius, medium verius censeam: quia adeò proprium Consulis interrogare, & referre ad Senatum, vt Liuius scripserit: *partem eius magis exquirendæ, quàm dandæ sententiæ esse.* Immò obseruo, Consulendi verbum proprium in hac notione & solemne Curiæ fuisse Spartianus me docuit in xxx. Tyrannis: *Tum Aurelius Tuscus Consularis, primæ sententiæ ait Consuli, consule; cùmque consultus esset, diuinos, inquit, honores Pisoni decerno.* Sed de nominibus abundè: Institutionem videamus, quæ non obscura. Instituti enim statim post Reges exactos, An. V. C. 244. Caussa creandi, vtilitas: quoniam, cùm sine Rege

essent, & capite, fluctuanti illi corpori opus fuit, qui dirigeret, & gubernaret. Sed duo ideo, vt nouam libertatem non committerent periculosè vni; & diuiso imperio, si alter malus esse voluisset, (vt inquit Eutropius) alter eū, habens potestatem similem, coerceret. Quâ causâ tempus imperij breue datum, & annuū tantum: ne diuturnitate insolescerent; & ciuiles semper essent, (ait idem Eutropius) qui se post annum scirent Priuatos esse futuros. Florus eleganter & acutè vtramq; causam complectitur. *Ex perpetuo*, inquit, *Imperio annuū placuit, ex singulari duplex: ne potestas solicitudine, vel more corrūperetur*. Loco igitur Regum creati, & quidē cum pleno eorum iure. Itaque *Regium imperium* Cic. 3. de legibus, non iniustè appellat: *Regiam potestatem*, Liuius: *Fastigium dignitatum*, Cassiodorus: & Ouid. lib. 4. de Ponto, Eleg. 9

nul-

---- nullum Martia summo
Altius imperium, Consule, Roma videt.

Quâ de caussâ Grçci, Consules non tam προβέλυς, aut συμβέλυς verterunt, vim verbi intuentes: sed potius ὑπάτυς, q. d. summos, vim intuētes imperij, & potestatis: quemadmodum, quod prçcellens & summum est, prisci Græci appellabāt ὕπατον, inquit Dionysius lib. 4. Et sanè vis omnis, & liberrimū imperium initio apud illos; pacem bellúmve facere, fœdera ferire, coërcere, animaduertere ius vitæ necisque in ciues habere: donec paullatim imminuta est, & redacta ad eum modum, qui grauis libertati nō esset. *Imminuta* autem præcipuè duplici viâ, *prouocationis*, & *intercessionis*. *Prouocatio* statim post Reges nata, ex *lege Valeriâ*: quæ animaduersiones in ciues sustulit, & imperium Consulare non obscurè dissoluit. Non enim vltra vitæ, & necis potestas penés Consules:

cum prouocare ad Populum, velut maiorem iudicem, liceret. At *Intercessio*, quæ nata cum Tribunis, arbitrium pacis, belli, & grauiorum rerum, Consulibus eripuit: quoniã intercedere & impedire omnes consulares actiones poterãt, velut Popoli voce. Cuius sanè Populi vis ac dignitas magis magisque creuit, (vtiq; post *Hortensiam legem*) & imperium sumpsit super omnes magistratus. Soluta ergo Coss. potestas: non tamen fracta, quamdiu Respublicæ stetit. Multa enim eorum, & ampla adhuc munia: quæ strictim & per indicem recensebo. I. Caput Reipublica Consules habentur, omnésque magistratus eis subiecti & obnoxij, præter Tribunos. Itaque intercedere etiam omnibus actionibus possunt. II. Militiæ ius summum habent: ciuibus & sociis imperant: Tribunos militum, Centuriones Præfectos, constituunt.

III.

III.Imperium in prouincias habent: euocare ſubditos poſſunt, coërcere, punire. IV. Ius conuocandi populi habent, cum eo agendi leges ferendi, iiſque nomen à ſe dãdi. V. Litteras omnes à præſidibus prouinciarũ, à populis ac vrbibus recipiunt: legatos audiunt: & quicquid per Senatum & Populum conficiendum eſt, manu horum & miniſterio conficitur. VI. Vt Senatus res omnes pace bellóq; tractabat, regebat: ſic ipſi quodammodo Senatum, quem conuocabant, dimittebant, &, ad ſummam, in vniuerſâ hac naui velut arbitri quidam & gubernatores erant. Atq; hæc liberâ Repub. fuêre: at oppreſsâ eâ iterum immutata Coſs. poteſtas. Princeps enim, vt omnium magiſtratuum iura ad ſe traxit: ita præcipuè Conſulum & Tribunorum. Ita ex omnibus, quæ dixi, pauca iis remansêre. Nec alia ferè munia reperio ſub Principibus, quàm iſta:

vt Se-

vt Senatum rogarent,& consulerent,vt ius dicerent, tutores darent,manumitterent,vectigalia locarent, (quod olim Censorum munus) ludos, & præsertim Circenses ederent,annis nomen darẽt. quæ omnia (vt breuis sim) testimoniis non dilato: quoniam in historiis, & legum libris sparsa. Vide pleráque ex iis, si lubet,apud Cassiod.lib.6.Epist.1.

DE INSIGNIBVS Consulum.

Capvt VIII.

AD insignia venio siue ad ornamẽta quædam externa,quæ adiuncta Consulibus, aliisq́ue Magistratibus, ad augendum splendorem. Eorum omniũ originem ab Etruscis esse, Liuius, & Symmachus voluerunt: itemq́ue Florus qui

qui diſtinctè etiam recenſet. *A Tuſcis;* inquit, *faſces, trabeæ, curules, annuli, phaleræ, paludamenta, prætexta: inde, qui aurato curru quatuor equis triumphârũt: togæ pictæ: tunicæ palmatæ: omnia denique decora & inſignia, quibus Imperij dignitas eminet.* Hæc in Coſſ. paulò diuerſa fuiſſe reperio, veteri Republica & nouâ. Veteri Repub. hæc in vſu: Faſces duodecim cũ lictoribus, ſella curulis, prætexta, toga, eaque domi ſumpta primo magiſtratus die ante Deos penates, pio eburneus in manu, ſiue ſceptrum, de quo ſcipione minùs quidem vulgata res: magnis tamen auctoribus: mihi certa. Dionyſ. lib. 3. Tarquinio Regi ſceptrum eburneum attribuit: idque mãſiſſe ſucceſſorib⁹ eius tradit, & Coſſ. ipſi Liuius, Gallũ quendam ſcipione eburneo percuſſum à M. Papyrio ſcribit; cõſulare hoc ſceptrũ intelligens. Valerius de priſcis Coſſ. lib. 4. cap. 4. *Nec eis fuit*

rubori

rubori, eburneo ſcipione depoſito, agreſtẽ æſtiuam aratri repetere. In Valerianis exemplis apud Vopiſcum: *Nam te hoc die Conſulem deſigno, ſcripturus ad Senatum, vt tibi ſcipionem deputet, deputet etiam faſces. Hæc enim Imperator non ſolet dare; ſed à Senatu, quando ſit Conſul, accipere.* Caſſiodorus, in formulâ Conſulatus: *Validam manum victoriali ſcipione nobilitat.* In gloſſis priſcis *Scipiones, virgæ Conſulum.* Et Ennodius in Panegyrico, Scipiones pro ipſo Conſulatu poſuit: *Serranum ſcipionibus aratra pepererunt.* Nec Iuuenalem aliter, quàm de hoc ſcipione ceperim:

Da nũc & volucrẽ, ſceptro quæ ſurget eburno.

Præitque nobis, Aquilæ figuram fuiſſe in ſummo illo ſceptro: niſi tamen magis placet, ad ſcipionem triumphãtem id referri, quem planè eâ formâ Iſidorus deſcribit, lib. 17. c. 2. Et eundem in Triumpho Appianus etiam agnoſcit, li. de bellis Punicis.

Atque

Atque hæc ferè insignia olim. Posterior ætas sub Principibus quædam addidit, quædam immutauit: & id ferè in superbiam, vt solet, & ad pompam. Non contenti enim simplici prætextâ, eius loco togam pictam induxêre, quæ antea triunphātium propria tantùm. Lampridius in Alexand. *Prætextam & togam pictam nunquam nisi Consul accepit; & eam quidem, quam de Iouis templo sumptam & alij accipiebant.* Vbi & notari ritum illum sedulò velim, accipiendæ cōsularis eius togæ è Capitolino templo; quem eundem ingerit opportunè in eâdem istâ re Capitolinus in Gordiano: *Palmatam, tunicam*, inquit, *& togam pictam primus Romanorum priuatus suam propriam habuit cùm antea Impp. eam de Capitolino acciperent, vel de Palatio.* Hæc est illa toga picta, quam *palmatam* alio nomine dixére: tribuitque eam Consulibus Cassiodorus. *Pinge*, inquit, *vastos humeros*

vario

vario colore palmatæ. Et Ennodius in Panegyrico. Etſi de togâ non exprimunt clarè. Itaque ſuſpicari poſſis, ex ſuperioribus Capitolini verbis, de tunicâ tantùm. Falsò tamen ex Martiale, qui togam in hac re nominat diſertè:

Palmataq́; ducem, ſed citò, redde togæ.

& Auſonio, qui in Panegyrico tria hæc, *pictam, palmatam, trabeam,* apertè confudit, & ſolere id ſuo æuo oſtendit. Nam & trabeam reperies, velut propriam Conſulum veſtem. Et caue pro tunicâ accipias, vt priſci; ſed pro hac ipſa togâ pictâ. Cauſſa, cur vtrumque hoc nomen ei dederint: quòd aurò purpuráque intexta ea fuerit, ad formam trabium, ſiue palmarum ramorum.

De trabeâ autem conſulari Symmachus lib. 9. Epiſt. *Litteræ*, inquit, *quæ te annalem trabeam meruiſſe loquerentur,* hoc eſt, conſulatum. Et Claudianus in Eutropio:

Annus

Annus qui trabeas, hic dedit exilium.
Atq; idem Poëta etiam aliâs sæpiùs. Atque etiam Impp. *l. 1. C. de Coss.* Iam in fascibus ipsis etiã aliquid immutârunt. *Laurum* enim iis perpetuum addidêre: quod olim solet tantùm in Triumphis. Colligo ex Martiale, *lib.* 10. *Epigr.* 10.

Cum tu laurigeris annum qui fascibus intras.

& lib. 12. Epigr. 3. ostendit etiam laurum ædibus Consulum solere addi. Sed & Cassiodorus laurũ Coss. disertè tribuit, lib. 2. variar. Epist. 2.

Nec laurus solùm; sed *Secures* etiã relatas iterum in fasces, quas Valerius ademerat, animaduertet non oscitãs lector ex eodem Cassiodoro, lib. 6. *Hinc est,* inquit, *quòd etiã fasces atq; secures tantæ potestati præceptæ sunt illigari.* Vt Claudiani aliquot locis. Nec id, quòd imperium aut potentia iis creuerat, (contrà est) sed quòd fastus & superbia externa:

quæ ipsa *calceos etiam auratos* Consulibus induit. Quod scriptum à solo (quod sciam) Cassiodoro; satis tamen clarè. *Lares, inquit, proprios calceis auratis egredere.* Quod genus calceorum in vsu Romæ fuisse, Epictetus me docuit in Enchiridio, c. 24.

RITVS ALIQVOT Consulares.

CAPVT IX.

NOmen, vim & insignia Coss. satis expressi; addam *ritus* aliquot priscos, & non obuios, qui valdè ad scriptorum veterum lucem. Eos certo ordine vix dedero, sed vt venient sub stylum. Primùm noto, vario die initium Cõsulatus olim fuisse. quod ex Liuij locis multis clarũ. donec Anno 598. inire

& ipsi, & alij Magistratus, cœpêre *Calendis Ianuariis.* Hoc traditum in epitome Liuianâ 47. & mutilè & corruptè. Primus autem hic dies Consulibus valde honoratus. Domum enim eorum, & Populus, & Senatus conueniebat, eósque salutabat, deducebat. *De salutatione* Claudianus de Consule Eutrop.

——vulgata patebat
Aula salutantum studiis.——

De comitatu senatus & populi. Ouid. 4. de Pont. Eleg. 9.

Dumq́; latus sancti cinget tibi turba Senatus,
Consulis ante pedes ire iuberet eques.

Et Claudianus:

Candida pollutos comitatur curia fasces.

Hæc *officia Coss.* Spartianus vocat in Hadriano. *Romæ*, inquit, *Prætorum & Consulum officia frequentauit.* Et Sueton. in Iulio, c. 15. *Relicto*, inquit, *honorum Consulum officio.* Symmachus id appellat, *auspiciis interesse.* lib. 1. Epist. 51. *For-*

tunati, inquit, *sellam læto agmine persequantur, & auspiciis tuis quinis fati integer amicus intersit.* Et lib.3. Epist. 21. *Apud egregium virum Consulem faue absentiæ meæ: cuius honore gloriari nostrum est; auspiciis interesse, felicem.* Et appellat ideò, quòd primo illo die munia omnia Consulatus sui delibabat: de quo scripsi ad lib.4. Annal. Taciti. Initium autem faciebant à Religione, & deducebantur solemni isto officio in Capitolium primò, vt vota scilicet conciperent, & singulos boues Ioui immolarent. Ouid. de Græcineo Consule:

At cùm Tarpejas esses deductus in arces,
Dum caderet iussu victima sacra tuo.

Lampridius de Heliogabalo: *Deinde in Capitoliũ ad vota concipienda, & perficienda solemnia, ire noluit: omnia per Prætorem vrbanum, quasi Consules illic non essent, facta sunt.* Et Liuius lib.4. clarè inquit: *Consules quo die magistratum inêre, immolantibus singulis*

ſingulis Ioui bobus, vt ſolet, &c. Spectátque ad hoc cõſulare ſacrũ, quòd Suetonius in Auguſto ſcribit, c. 95. Et Plin. lib 2. c. 37. Adde & Ouid. iterum lib. 4. de Pont. Eleg. 4. A Capitolio autem in Senatum deducebantur, gratiáſq; illîc Principi habebant, iuſſi (vt inquit Plinius) SCto. Atq; eodem ipſo die *munera conſularia* amicis mittebant: quorum mentio apud Symmachum Epiſt. 61. lib. 3. *Grata mihi*, inquit, *fuêre ampliſſimi Conſulatus tui munera.* Vocatq; hæc *ſportulam conſularem* idem ſcriptor, lib. 9. Epiſt. vlt. Sed & in populum pecuniam ſpargebant: cuius effuſionis Caſſiodorus meminit lib. 2. Epiſt. 2. & lib. 6. Epiſt. 1. Eiq; ſparſioni centena auri pondo attributa fuiſſe, docet Lex 2. C. de Cõſulibus. Vbi tamen vilitas hæc ſpargendi ab Imp. tollitur, & ſumma ea ad aquæductus reparandos transfertur.

Primis autem his diebus in leges iu-

rabant; ſicut & reliqui magiſtratus omnes: nec fas cuiquam magiſtratum vltra quinque dies gerere; niſi qui publicè id iuramentum præſtitiſſet. Liuius lib. 31. *Q. Valerius Flaccus*, inquit, *quia flamen Dialis* (i. Iouialis) *erat, iurare in leges non poterat. Magiſtratum autem plus dies quinque, niſi qui in leges iuraſſet, non licebat gerere.* Etſi Plinius, id iuramentum bis præſtari ſolitum, videatur innuere: ſemel, cùm deſignati Conſules eſſent; idq́; in manum Conſulis renunciantis: iterum in roſtris, toto populo audiente. Et formula etiam ipſa expreſſa ab eo in parte: quem totum locum in medio Panegyrico eius omninò vide. Atq; ſimile iuramentum iterum præſtabant, Conſulatu iam geſto: iurabant, inquam, nihil in eo ſcienter ſe feciſſe cõtra leges. Plinius: *Itaque & abiturus conſulatu iuraſti*, inquit, *te nihil contra leges feciſſe.* Dio. Caſſius lib. 33. *Auguſtus*, inquit, *defun-*

ctus

ctus consulatu, iuramentum patrio more præstitit.Idem lib.50.de Claudio: *Consulatu abiens*,inquit, *item, vt alij, iuramentũ præstitit ; solitus id in omnibus consulatibus suis facere*. Atque de hoc vltimo iuramento Cicero capiendus, lib.5. Ep.2.& Orat.in L. Pisonem. Et Plutarch. in Cic. Dio. lib. 37. Atque hæc facere primis diebus in vsu: quibus addo ritum ad vim & potestatem Consulum spectantem, quæ interdum poscente salute publicâ ita aucta est, vt par regiæ potentiæ esset. Modus augendi per S C. quo Resp. Consulibus permitti dicebatur, commendari, defendenda dari. Quod tamen interpõni non temerè solet, nisi in atroci negotio, & (vt Sallustius ait) in vltima necessitate: vt Liuius lib. 3. in ipso vrbis incendio;& desperatione omnium salutis,vt Cæsar,1.de bello ciuili. Formula S Cti breuis & solemnis hæc:

Viderent .consvles, ne qvid respvblica detrimenti acciperet.

Quo vno versiculo satis armatos eos semper fuisse, etiam nullis armis datis, Cicero pro Milone scripsit. Vis enim eorum verborum hæc : vt Imperium summum merúmque Coss. esset, exercitum parare possent, bellum gerere, coërcere omnibus modis socios atque ciues : &, vno verbo, restituebatur eis hoc decreto ius regium vetus, per prouocationem, aliásque leges ademptũ. Antiquum autem valde hunc morem esse, & cum primâ Rep. natum, docet Liuius; quî eius, vt iam recepti, meminit libro 3. solétque interponi in domestico plerúmque motu; vt Tribunitiis seditionibus, perniciosis legibus, coniuratione occulta : aut etiã externo discrimine, sed extremo. Vide, præter dictos, Vegetiũ lib. 3. ca. 1. Dionem li. 37.

Ri-

Ritum huic adiungo triplicem:vnũ, qui ad insignia Consulum spectat,& ad fasces: alterum,de securibus ablatis, de quod satis dixi in Elect. ca.26. alterum, de diuisione fasciũ,quæ sic habet:Consulibus duobus creatis, cùm initio fasces xxiv. præferrentur, id est, singulis xij. in voce & inuidiâ populi res fuit; tanquam regno nó depulso, sed duplicato: eâ causâ Valerius instituit, vt xij. tantùm fasces cóspicerentur, ijq; alternis mensibus apud alterum Consulem essent: ita, inquam, vt priore mense prior Consul eos haberet, secundo alter,atq; ita ordine. Dionys. lib.5.initio. Dionys.lib.55.initio.Sumere autem eos prior solebat,qui maior natu esset: idq; obtinuisse videtur vsque ad *l. Iuliam*, quæ honorem huic detulit numero liberorum.De vtroq; vide Valeriũ lib.4. cap.1.& Agel.lib.2. c.15 Interea tamé Consulis,qui sine fascibus, ne nullo in-

ſigni noſceretur, *Accenſum* habebat, qui eum præcederet, & *Lictores*, qui ſequerentur cum virgis & bacillis. Suetonius in Iulio, cap. 20. Liuius lib. 3. vbi de Decemuiris. Denique poſtremò obſeruo ritum, qui ad tempus gerendi Conſulatus pertinet, quod olim annuum fuiſſe ſcimus: mutatum tamen ſtatim cum Repub. & à Iulio Cęſare plures vno anno Coſs. facti. Deſignabantur enim in tres, duos, immo in vnũ menſem, & alij atq; alij ſubſtituebantur. Mos notus, & obuia exempla: à quo tamen manâſſe moneo, vt tum duo genera Conſulum nominarentur; *Ordinarij*, & *Suffecti*. *Ordinarij*, qui, more priſco, principio anni & Cal. Ian. inirent. *Suffecti* autem omnes, qui deinceps inſtituti. Illi honeſtiores cenſebantur: quòd nomẽ eorum magis celebre & æternum; cùm ab iis tempora & anni numerentur. Seneca: *Conſulem me fecit, ſed non Ordinarium.*

Sue-

Suetonius in Domitiano, c. 2. *In sex Consulatibus vnum ordinarium tantùm gessit.* Symmachus lib. 9. *Delatus est à clementissimis Principibus ordinarius Consulus.* Lampridius in Alexandro: *Consulatum tertium iniit tantùm ordinarium.* Hæc diuisio & hic mos ad Constantinum Imp. mansit: qui Consulatum iterum annuum fecit, & pro suffectis nouum genus reperit, quos *Consulares* dixit, siue etiam *Consules honorarios.* Quorum origo à Consulatibus ornamentis, quæ instituerat iam olim Iulius Cæsar, apud Suetonium cap. 76. Exstat *Consulatatis* formula (ita honorem hunc appellabant; non Consulatum) in Cassiodor. lib. 6. Epist. 21. quem omninò suadeo legas: itémque de istis capienda lex 4. C. de Coss. & Nouell. 62.

DE

DE PRÆTORIBVS.
Nomen eorum, institutio, numerus, insignia.

Capvt X.

IVxta Coss. *Prætores* meritò sequuntur: qui dignitate proximi, & collegæ Consulis appellantur; quoniam iisdem auspiciis creabantur. Nomen iis, siue quòd præirent, siue quòd præessent; merè latinum, & sanè vetus. Populi autem pleriqúe è Latio, Imperatores suos & duces *Prætores* appellabant; vti exempla in Liuio crebra. Sed & Hetrusci, Prætores habuisse videntur inter ordinarios & legitimos magistratus. Spartianus me docuit in Hadriano. *In Hetruriam*, inquit, *Præturā Imp. egit; per Latina opida Dictator & Ædilis & Duūuir fuit.* Et vetus in Italiâ inscriptio:

PRÆ-

PRÆTOR HETRVRIÆ xv. populorum.

ita vt latè omninò patuerit id nomen: nec solùm, vt Asconius ait, veteres omnem magistratum, cui parêret exercitus Prætorem appellârunt; sed quemcunq; in re profanâ, siue etiam sacrâ, prȩfectū. Sic in monumentis lego: *Prætorem Tiburtinum, Prætorem sacrorum, Prætorem sacris Volcani, Prætorem Iuuentutis.* Nescio, an latâ illâ significatione Suetonius sumpserit, cùm librum de Prætoribus inscripserit. Sed commune ante antea nomen, & Coss. ipsis vsurpatum, proprium esse cœpit huic magistratui, qui institutus A.V.C. 388. Caussa instituendi duplex: Vtilitas, & Æmulatio. Vtilitas: quia cùm sæpè Coss. bellis auocarentur, nec esset in Vrbe qui ius diceret; ex vsu fuit magistratum creari, qui propriè huic muneri vacaret. Æmulatio: quoniam, vt Liuius indicat lib.

lib.7.Patritij nouum hunc honoré auidè quæsiuêre,in locum erepti Consulatus.Creatus auté initio vnus:pòst, circa A.V.501.alter adiectus,qui ius item diceret;sed diuersis muneribus: ille inter ciues;hic inter ciues & peregrinos.Itaque cognominibus distincti fuêre;alter *Vrbanus*,alter *Peregrinus* appellatus.Ille tamen honestior digniorq́;:adeò vt velut proprio cognomento *Honoratus* appellaretur ab Ouid.lib.1.Fastor.

Verbaq́, honoratus libera Prætor habet.

Et *ius*,quod ab eo edictisq́; eius descendit,*honorarium*.At postea etiam duo alij additi, paullò diuerso fine:quòd, vt priores, Consules adiuuerút in iure dicendo:sic isti,in prouinciis regendis.Id factum anno 120. Sardinâ & Siciliâ in prouinciarú redactis: & duo etiá adiecti:Hispaniis deuictis,An.557.Ita in vniuersum tunc Prætores sex:ex quibus duo soli in vrbe manebant:reliqui quatuor

tuor ſtatim,ac renunciati erant,in prouincias ibant, quas ſors aſſignârat. Id manſit,donec quæſtiones perpetuæ cóſtitutæ ſunt,anno V. C. 606. & Senatui tunc viſum,vt Prætores omnes ipſo anno magiſtratus ſui in vrbe hærerent,& parte aliquâ ius tangerent, ſiue publicum,ſiue priuatum. Et paullò pòſt Sulla Dictator, vt quæſtionum numerum auxit,ſic & Prætorum:factiq; VIII.Errat enim Pomponius, qui aſſeuerat de X. Primus C. Cæſar denos creauit, & poſtea XVI.vt Dio.tradit libro 42. & 43.& maiore licentiâ Triumuiri LXIV.quod idem aſſeruit lib. 48. Auguſtus tamen temperauit, & duodenario numero inclusit. Sed fruſtra: quia iterum XVI. facti; quibus Claudius duos etiam adiecit, qui propriè ius dicerent de fidei commiſſis. l. 2. ff. de origine Iuris. Vlp. in Inſtitut. titu. 22. Ex his Titus vnum detraxit: ſed Nerua reſtituit,

cum

cum munere, vt ius diceret inter priuatos & fiscum. *Tutelam* etiam *Prætorem* à M. Antonio Philosopho institutum, Capitolinus in vitâ eius prodidit, & meminêre Leges. Ita in vniuersum XVIII. Prætores facti: donec paullatim minuente imperio minuti & ipsi, & tres tantùm creati, lege Valentiniani & Marciani AA. Atq; hoc de numero & augmento breuiter.

Insignia addam: quæ non obscura. Prætextæ enim togæ illis ius, itē Sellæ curulis: Lictores cum fascibus sex habuêre: vnde Polybius ἑξαπέλεκυν Prætorem plerumque vertit. Nec lex vetus apud Censorinum me turbat, quæ Prætori vrbano duos tantùm lictores tribuit. Quòd capienda hac mente, vt minimùm duo semper in tribunali eius adsint & appareant; non plures.

DE

DE OFFICIIS Prætorum.

CAPVT XI.

AT munera Prætorum præcipuè tria: *Ludi, Sacra, Iurisdictio. Ludos* enim varios dabant ad Populi gratiam; et exempla obcurrunt passim. *Sacrum* etiam plerumque curabant *Bonæ Deæ*; quod domi eorum ab vxore fiebat. Plutarch. in Cæsare docet. Cicero ad Atticum lib. 1. Epist. 10. vbi *populare* id sacrum appellari moneo; quia pro populo fiebat: vnde *Dameum* dictum notat Festus; etsi interpretatione additâ non bonâ. In has autem duas res magni sumptus facti. Martialis integro illo epigrammate ostendit: Capitolinus in Maximo, aliiq;. Vnde, velut prouerbij loco, ab Augustino vsurpata censeo *Præto-*

riana pretia, pro magnis. *Ita addictus erat studiis*, inquit, *vt pretiis prætorianis sibi conficiendos codices curauerit.* Hæc duo munera, siue onera potiùs, sola ferè mansêre Prætoribus, labente Imperio; vt nō frustra à Boëthio scriptum sit: *Pratura olim magna potestas; nunc inane nomen, & senatorij census grauis sarcina.* At tertium maximumque munus, *Iurisdictio*: quam dupliciter considero; *in priuatis & publicis iudiciis.* *Priuata iudicia*, id est, res Ciuiles, tractabant duo soli è Prætoribus; vrbanus & peregrinus: *Publica*, siue Criminales, reliqui omnes. Ita tamen; vt singulis certæ essent quæstiones, vnà pluréſue. De quibus dilucidè & subtiliter dicere, non nostrum. Latus enim campus, & quem meritò decurrant soli ICti: è quibus ante omnes legi suadeo Barn. Brissonium lib. 4. formularum.

D E

DE ÆDILIBVS. EOrum nomen, institutio, & genera.

CAPVT XII.

TERTIO loco *Ædiles* censeo: quibus nomen (vt pleriq; omnes volunt) ab ædium curâ. siue, quòd ædes sacras priuatasq; curarét, vt Varro ait, siue quòd ædibus præessent, in quibus scita sua plebes ferebat, vt Pomponius. Festus, magis nouè & remotè, ab adeundo deriuat: quòd faciles ad omnes plebi adi-us essent. Sed re verá vtrumque etymon, si attentus inspicis, labat. Et verius fortassis, non tunc Romæ nomen ..d primùm natũ; sed, vt pleraque, è Latio traductum: nec ex re impositum; sed ab exemplo. Iam olim enim Ædilium magistratus in Latinis oppidis: qui *Ædiles quinquennales* cognominati in histo-

riis & lapidibus passim. Spartia. clarè in Hadrian. *Per Latina oppida Dictator, Ædilis & Duūuir fuit.* Isq; primus & summus, nisi fallor, municipalis magistratu

Sufficiunt tunica summis Æd libus albæ.

Atq; eos ab ædibus primò dictos nihi abnuā: quia velut minuti Cēsores quid erant, & ædium sacrarum priuatarumq; curam gerebant. Instituti autem Rom vnà cum ipsis Tribunis plebis, A. V. 26.. Plebs enim Tribunos suos nacta, amplius à patribus petiit (inquit Dionysiu lib. 6.) vt duos è plebe creare sibi licet, qui Tribunis velut administri & adiutores essent, quiq; eas caussas cognoscerent, quas illi commisissent. Itaq; h primi *Ædiles plebis* appellati. Addi postea anno vrbis 368. duo è patribu qui ludorum caussà præcipuè crea (Liuium vide in fine lib. 6. & initio li 7.) & cum discrimine *Ædiles Curu* dicti: quoniam eâ sellâ honoris caus

vt

vtebantur. Priores enim illi tantùm in subselliis sedebant; vt & Tribuni, & Quæstores. Itaque hi digniores, & *μείζονα ἀγορανομίαν*, Plutarchus appellauit hanc Curulem. *Curulis* autem *sella* à curru dicta, vt vulgi opinio est: quam Isidorus apposite firmat. *Cōsules olim* (inquiēs) *& Prætores, ob longinquitatem viæ in forum prouectos: ideoque & sellas, quæ post eos vehebantur, in quibus sedentes iura redderent, curules dictas.* Cui tamen deriuationi scriptura & dimensio repugnant: veriusque à Curibus (oppidum olim Sabinorum erat) dicta. Forma eius in nummis crebrò expressa, nec dissimilis sellis iis, quas Hispanicas vocamus, & quarum in aulis vsus. Describit Plutarchus, & incuruis pedibus eas fuisse ostendit. Itaque in glossis priscis, sella curulis explicatur ἀγκυλόπους θρόνος βασιλικός. Altas facit Silius:

Hæc altas eboris decoravit curules.
Lucanus lib.5.
Lentulus è celsâ sublimis sede profatur.
Non quòd sellæ ipsę altissimę; sed quò adiuncti plures gradus. Cassiod. *Sella curulem pro sua magnitudine multis gradibus enisus ascende.* Eborę autem eæ tectæ: ideoque Horatius lib.1. Epist. circunscripsit:

———dabit eripietque Curule
Cui volet importunus ebur.———

Et Athenæus de Antiocho Rege *sedisse eum*, ait, *eburneâ sede ritu Romanorum:* significans curulem. Nec alter Grec. vertunt, quàm ἐλεφάντινον θρόνον aut δίφρον: quo exemplo etiam Vopiscus in Aureliano *Sellam eburnatam* dixit. Cælatū, & sculptum id fuisse, Ouid. ostendit lib. 4 Pont. Eleg. 9.

Signa quoque in Sellâ nossem formata curuli.
Et totum Numidæ sculptile dentis opus

Ne(

Nec plures Ædiles, ad tempora C. Cæsaris: qui duos prǽterea adiecit, A. V. DCCX. quos è Patribus creari tantùm voluit, & quòd frumentariæ curæ præfecti, à Cærere *Cereales* dixi Dio. lib. 43. sub finem, & Pomponius l. 2. ff. de origine iuris. Ita vi. in vniuersum Ædiles: triplici tamen discrimine, quod ad Constãtini vsque tempora perseuerasse crediderim, & ab eo (vt plerosque magistratus) sublatos.

DE OFFICIIS Ædilium.

CAPVT XIII.

At munera quæ fuerint, pleráque omnia lege sua Cicero breuiter expedit: *Suntóque Ædiles*, inquit, *curatores vrbis, annonæ, ludorúmque solemnium.*

Ait, *Curatores vrbis:* ſicut alibi dicere mihi videtur, totam vrbem iis tuendam commiſſam: nõ malè, quòd ea ferè omnia curabant, quæ ad ornatum aut ordinem vrbis. Primùm enim opera publica inſpiciebant ac tuebantur, & templa Deorum. Cicer. 5. in Verr. Varro lib. 4. de ling. Lat. Secundò, incendiorum eis cura, & nè quod ab igne damnũ. Quod munus tamen impoſuiſſe iis Auguſtus primus videtur, ex Dione 54. Tertiò funerum taliúmque minutorum rituum inſtitutio penes eos, & conſeruatio. Ex Ouid. 6. Faſt.

Adde quòd Ædiles, pompâ qui funeris irent.
Artifices tantùm iuſſerat eſſe decem.

Sed & matrimoniorum, quódque adnexum iis, ſcortationum, & meretriciũ coercitio quædam & regimen: vt ſatis docuit in commentar. 2. ad Taciti Annal. Denique balnea, aquæductus, cloacas

as, plateas, & loca omnia urbis curabant, ut pura ea & munda essent. Seneca de balneis epist. 13. *Dij boni*, inquit, *quàm iuuabat illa balnea intrare, quæ scires Catonem tibi Ædilem, aut Fabium Maximum manu sua temperasse!* Et alibi eleganter: *Inuenies balnea & popinas, & loca Ædilem metuentia.* Et de tumiditate Plautus Sticho, cui cùm seruus imperasset:

Cape illas scopas, tu heic conuerre, &c.

Parasitus subiicit:

Sine suffragio populi Ædilitatem hic quidem gerit.

Et plura ad hanc rem distractè, & aptè l. vnica. ff. de via publicâ: vbi Ædiles Papinianus ἀςυνόμυς semper vertit: quod aliud quàm curatores vrbis.

Sed addit secundo loco Cicero, *Annonæ Curatores.* Verissimè: quia non rerũ [illegible]m vænalium ad eos cura & æstimatio spectabat, sed etiam pecudum hominúmque. Apuleius lib. 1. *Ædilem ge-*

rimus, inquit, & *annonam curamus*. Plautus Rudente:

Ita solet Neptunus: quãuis fastidiosus Ædilis est,
Si quæ improbæ sunt merces, iactát omnes.

Persius Saturâ 1.

Fregeris heminas Areti Ædilis iniquas.

Immò ius etiam his de rebus decebant, ex Dionis.53. initio. Mulctas imponebant, ex Papiniani l. vnicâ, de viâ publicâ. Edicta concipiebant. Plaut. Capite 4.

Euge, edictiones ædilitias hic quidem habet.

Omnia, vno verbo, regebant & dirigebant, quæ ad vænalium forum. Vnde Græci plerique ἀγορανόμους eos verterunt. Agellium vide lib.4.c.2. Ictos, titulo toto de Ædilio edicto.

Denique pro tertio munere Cicero addit, *curationem ludorum solemnium*: Et cautè, *solemnium*: quia ludos tantùm curasse videntur, & publicè receptos: vt Flo-

Florales, Circenſes, Megalenſes, Romanos, &c. non autem priuatos, funebres, aut votiuos. Exempla huius curæ, & muneris vbique prompta: & paſſim legas, Ædiles ſuo ſumptu edidiſſe ludos, præfuiſſe, ordinaſſe, præmia ſiue pœnas actoribus diſtribuiſſe: denique, ſcripta etiam examinaſſe, & fabulas, quæ agendæ. Donatum in vitâ Terentij vide: nec ſcio, an ab hac ſcænicâ inſpectione manauit, vt ius quoddam iudiciúmque iis fuerit etiam in alios libros. Apparet ex Senatus Decreto apud Tacitum 4. Annali, quo iubentur Ædiles cremare Cremutij Cordi ſcripta.

* *
*

DE TRIBVNORVM Nomine, origine, & ex quo ordine creati.

Capvt XIIII.

QVartus in ordine magiſtratus, *Tribunorum* eſt: quorum nomen vetus & origini Vrbis pœnè æquale. Nam *Tribuni Celerum* ſtatim nati in regno Romuli, dictáque & ducta vox, ſiue à ternario numero, quòd tres tantùm tunc populi partes, & ex ſingulis ſinguli crearentur, ad exercitum mittendi: ſiue à tribubus: quòd earum ſuffragiis crearẽtur, vel quòd iis præeſſent: quo ſanè exemplo à Curibus *Curiones* dicti. Vtcúmque de etymo ſit, latè fuſum nomẽ: & vis ea ferè ſubeſt, vt curarem ſignificet, aut pręfectum. Itaque cum additione vſurpârunt: *Tribunus Celerum, Militum Æra-*

ƺrarij, *Plebis*. Et posteriore æuo sub incipibus, *Tribunus Voluptatum, Marinorum, Chartariorum, Prouinciarum*: quæ genera in Cassiodoro lego: & *Tribunus Fori*, in lapidibus: *Tribunus Scholarum*, in Codice Iustinianeo. At diuersi nostri, & digniores aliis: quorum origo à seditione. Cùm enim plebs in noua libertate variè premi à patribus videretur, anno Vrbis 260. secessit in montem sacrum: nec reduci in Vrbem potuit, nisi vt proprium hunc magistratum haberet, iuris sui vindicem & custodem. Creati auté nitio duo: mox tres adiecti: denique A. V. 297. iterum quinque additi, decémque in vniuersum facti: qui numerus deinceps in Rep. mansit. & quoniam primi Tribuni magistratum occœperút IV. Idus Decemb. hoc quoque obtinuit vt Tribuni non Calendis Ianuariis inirent, sicut magistratus ceteri: sed illo ipso die. Dionys. clarè lib. 6. in extremo.
Et

Et ab eâ mente Appianus Comitia Tribunorum refert in ætatem. Quòd auté per plebem creati; hoc quoque mansit, vt tantùm è plebe: nisi quòd semel Patricios duos cooptatos reperio, apud Liuium lib.3.Immò plerúmque ex infimâ plebe:donec lata lex, vt crearentur tantùm è Senatu,id est,vt nemo Tribunus esse posset, nisi qui antea Senator: Senator tamen plebeius. Id quando institutum,disertè haud scio:immòvix ipsi veteres:inter quos, & Appianus ambigit,lib.1.bellorum ciuilium, recténe id referatur ad Sullam. *Nec constat*, inquit, *an Tribunatum,vti nunc est,à plebe ad Senatum transtulerit.* Atteius tamen Capito apud Agell.lib.14.cap.vlt.(vt ego eum interpretor) ad Attinium plebiscitum refert.Nam ait: *Tribunis Senatum habendi ius erat,quamquam Senatores non essent, ante Attiniū plebisscitum.* quasi dicat, Attinio plebiscito lectos è Senatu. Quanquam

quam nec de tempore eius plebiſciti conſtat: niſi quòd P. Attinium quendam Tribunum reperio, C. Iulio Cæſare & M. Bibulo Coſſ. Certè quidem liberâ adhuc Rep. id in vſu fuiſſe, docet Suetonius in Auguſt. c. 10. *In locum*, inquit, *Tribuni pl. de mortui candidatum ſe oſtendit; quanquam patritius, necdum Senator.* Itaque non ius petendi Tribunatus, niſi Senatorum. Plinium ita exaudio. *Ego*, inquit, *ſexto latum clauum à Cæſare, ego Quæſturam impetraui: meo ſuffragio peruenit ad ius Tribunatus petendi.* Et Sueton. idem, vt nouum, notat in Auguſto: quòd comitiis tribunitiis, ſi deeſſent candidati Senatores, ex Equitibus creâ-rit.

DE

DE OFFICIO ET POTESTATE Tribunorum.

CAPVT XV.

HÆc origo Tribunorum, hæc creatio: eáque ratione Romæ Consulibus oppositi, quâ Lacedemone Regibus Ephori. Itaque munus eorum vn' initio & simplex, *auxilij latio.* Creati autem contra vim potentiámque magistratuum, scutum duntaxat impediendi & defendendi habebant: non agendi, aut lædendi telum, oppressos iuuabant, eripiebant, iniqua decreta aut iussa, siue magistratuum, siue Senatus, rescindebant, eóque fine (vt Plutarchus notat Probl. 81.) ianuæ eorū nocte diéque patebant: vt paratos se ostenderent, ad desideria, & querelas miserorum excipiendas. Sed nec vllam horā abesse

ab

ab vrbe legitimè poterant: vt Dio.ait, lib.37. siue nullum diem; vt Agell.lib.3. c.2. vel, vt magis artè Appianus 2. Ciuil. mœnia egredi iis non licebat: hac eâdẽ scilicet caussa. Ad auxiliũ autem ferendum parata intercessio: quæ peragi sota vno & solemni verbo, VETO. Liuius lib.6. *Faxo*, inquit, *ne iuuet vox ista, VETO; quia nunc concinentes Collegas nostros tam læti auditis.* Cuius intercessionis tanta vis, vt priuati magistratus omnes parêrent: qui non fecisset, vel per viatorem Tribunitium in carcerem abriperetur, vel die dictâ ad populum accusaretur, vt violator sacrosanctæ potestatis. Tales enim ipsi. Ea de re leges veteres apud Dionysium & Liuium. Quin Cicero hoc ampliùs notat: eam esse sanctitatem Tribunatus, vt non modò contra vim & ferrum, sed etiam contra verba & interfationem, legibus sacratis sint armati. Ea autem intercessi-

ſio valida etiam inter Tribunos ipſos; adeò vt, vno ex Collegio vetante, irritæ ſint reliquorum omnium actiones. Atque hoc eſt, quod *extremum ius* Cæſar appellat, 1. Cōmentario de bellis ciuilibus; & quod etiam à L. Sullâ relictum fatetur. Itaque agere, imperare, decernere, remotū à primis Tribunis: donec paullatim fiducia ſancti iuris progreſſi vlteriùs ſunt, & limites protulerunt ſui magiſtratus. Qui olim in Senatum non veniebant; ſed ante valuas curiæ poſitis ſubſelliis ſedebant; (Valerius auctor li. 2. cap. 2.) ij mox Senatum conuocare auſi. quod cœpiſſe primùm An. Vrb. 297. Dionyſius curiosè notat lib. 10. Immò dimittere etiam ab alio conuocatum: quod Appianus lib. 2. Ciuil. monet de Curione: *Senatum*, inquit, *re infecta dimiſit. Poteſt enim hoc Tribunus pl. facere*. Denique concionem aduocare, tabernas claudi iubere, leges & rogatio-

gationes ferre, iudicia quædam exercere; in immensum scilicet auctâ potestate, postquam *lege Hortensiâ* plebiscita omnem populum tenuêre. Itaque qui frenum aliis iniecerunt, freno ipsi eguêre. & cùm per hanc immoderatam licentiam materies crebra turbarũ & seditionum esset: Sulla Dictator potestatem Tribunitiam valdè circumcidit; immò pænè excîdit. Vetuit enim, ne leges ferrent, ne concionarentur, ne prouocaretur ad eos; solúmque nudum ius intercedēdi reliquit. Hoc amplius, vt absterreret homines ab eo magistratu capessendo, sanxit; vt ne cui Tribuno aditus pateret ad aliũ magistratũ. Quā tamen postremam legem, eo mortuo, Aurelius Cotta statim abrogauit: sicut reliqua omnia Pompeius in primo consulatu. Itaq; Tribunis iterum permissum ius vetus ad Impp. vsque; qui, Tribunitiâ potestate sibi sumpta, insignia penes

eos reliquerunt, & pænè inane nomen: quod tamen in Imperio Romano ad Constantini vsque tempore mansit.

De Qvæstoribvs

Vnde dicti: quando, & quàm multi facti: denique ius eorum ac munus.

Capvt XVI.

QVæstores ordine primi, dignitate vltimi inter magistratus. Iis non ambiguè à quærendo nomen: quòd pecunias reponebant: ideò & ταμίαι Græcè dicti. Origo eorũ vetustissima inter magistratus; vt Pomponius & Tacitus volunt lib. 2. Annal. quippe qui instituti sub ipsis Regibus. Sed an hoc eodem munere, an potiùs de crimine quærendi caussa, ambigo. Verius censeo, Quæstores istos pecuniarios libera Repu. crea-

tos; cùm, aucto videlicet populi æra-
rio, opus fuit, qui ei præessent. Id acci-
dit Anno vrb. 269. si Dionysio & Liuio
fides. à quibus tamen paullò diuersus
Plutarchus, qui refert ad annos primos
partæ libertatis. Tacitus Coss. primis
etiam Quæstores attribuit: sed ita, vt
ipsi eos eligerent. *donec*, inquit, *eum quoque*
honorem populus mandaret: quod factum
anno xxiij. post Reges eiectos. (ita enim
in eo scribendum; non 63.) Fuêre au-
tem initio duo tantùm Quæstores, qui
vrbanam pecuniam omnem tractarent,
& ærario præessent, quod in æde Satur-
ni: iique *vrbani* dicti. Postea, cùm aliis
etiã opus videretur, qui peregrè pecu-
niam militarem administrarent, prædã
venderent; duo iterum creati, qui Coss.
ad ministeria belli præstò essent: vt Liu.
ait lib. 4. Id accidit An. Vr. 232. Atque
is numerus diu mansit; donec stipen-
diariâ tota Italia duplicatus est is, fa-

ctiq; octo, ad tractāda etiam prouinciarum vectigalia, in quas cum Proconsulibus aut Proprætoribus sorte mittebantur: quod euenisse, argento primùm signato, id est, circa annum V.493. obseruo ex Epitome Liuianâ 15. At mox lege Sullæ xx. creati, ad Senatum supplendum: vt Tacitus suggerit. Nec absimili fine xl. à Cæsare; vt Dio. lib. 43. Hæc institutio & augmentum. nec obscura admodum eorum munera; è quibus præcipua pecuniæ publicæ acceptio & expensio: item signorum militarium (ex argēto & auro enim) in ærario obseruatio, prædæ venditio & subhastatio: certæ etiam per Italiam præfecturæ, vt Ostiensis & * de quibus Tacitus 4. Annal. & ibi nos; & Suet. Claudio, cap. 24. Sed & decreto Augusti, SCta iis adseruanda tradita, quæ ante penes Ædiles & Tribunos: Dio. notat lib. 54. Fuit etiam Impp. veluti proprius

eorum

eorum Quæstor, qui *candidatus Principis* appellatus, siue, *Quæstor Augusti:* cuius munus expressum ab Vlpiano in l. vnica, ff. de officio Quæstoris. de quo satis multa Brissonius. Ab hoc origo *Quæstoris Palatij*, qui sub Constantino cœpit: quæ deinceps magna dignitas, cuique datum, leges & decreta fundere, petitionibus rescribere, responsa reddere: & omninò Iuris quidã & legum custos ac pręses fuit: quod nomen hodie in *Cancellarium* mutatum verè dixerimus. De hoc Zosimus lib. 5. de Sallio quodam; cuius erat officiũ (inquit) dictare, quæ Principi viderentur. Quæstorem à Constantini temporibus appellant. Meminit & Procopius de bello Persico. Symmachus lib. 1. Epist. 17. & lib. 4. Epist. 50. Cassiodorus Epist. lib. 10. & optimè lib. 5. Epist. 7.

DE DICTATORE.

Vnde illi nomen: origo & caussa eligendi: item modus: denique vis eius & potestas.

CAPVT XVII.

ORdinarios & perpetuos in Rep Romana magistratus breuiter explicaui. Supersunt *intermissi & extraordinarij*. Inter quos iure primum locum dem illi, qui magistratuum omniũ primus, DICTATORI: cui nomen siue quòd diceretur à Consule (ait Varro) cuius dicto omnes audiẽtes essent: siue potiùs à dictando; quòd crebro diceret ediceréťq;, quæ essent ex vsu: quę Dionysij mẽs est, & Suidæ vertẽtis εἰσηγητὴν τῶν λυσιτελῶν. Dictus alio nomine *Magister populi*, itémq; *Prætor maximus*. quæ voces præstantiam scilicet Imperij pręferunt & dignitatis. Cæterùm & res & no-

nomen Dictatoris sumpta ab Albanis, consanguineo populo: quod cùm apud Dionysium Licinius Macer affirmet; suadet etiam Liuius, qui iam inde sub Rege Tullo Dictatorem Albanum Metium Suffetium agnoscit: & Spartianus ordinarium veteris Latij magistratum fuisse ostendit, in Hadriano. *Per latina*, inquit, *oppida Dictator & Duumuir fuit.* Ipse tamen Dionysius à Grçcis esse exẽplum mauult, apud quos non dissimili iu re Αἰσυμνῆται Origo eius & prima institutio controuersa: quoniam Dionysius, fidus certè & cautus scriptor, refert in annum Vrb. 255. At Liuius & plerique ex Latinis, biennio priùs eum creatum volunt; nono scilicet anno post Reges exactos. Etsi Liuius in affirmando tribuat, & obscuram ambiguãque rem non negat. Caussa prima eligendi, seditio fuit, & metus ab hoste. Cùm enim sperni viderẽt Cõsulare nomen,

men, cui per prouocationem adempta præcipua vis: decursum ad hoc singulare imperium: vt esset, qui rigida & regiâ potestate plebem siue hostes coërceret. Maior enim & concordior vis in vnius imperio, quem collega nemo aut improbè turbat, aut imperitè tardat. Atque hæ pręcipuę sanè deinceps creandi caussæ: seditio, inquam, aut bellum grauius. nec alias Cicero commemorat lib. 3. de Legg. nisi quòd paullatim creatus etiam caussis pluribus; quę in Fastis passim expressa. vt Claui figendi caussâ; Comitiorum habendorum; Ludorum faciundorum; Quæstionis exercendæ; Senatus legendi: deniq; quotiens breui aliquo & extraordinario imperio opus esset. Sed priores illi serij, verique. Dictatores ferè cũ hoc titulo leguntur:

Rei gerendæ cavssa. quod ad bellum spectat: vel Reip. geren-

rendæ cauſsâ; ſiue ſeditionis ſedandæ cauſsâ, quod ad turbas. Eligi porrò ſolet aliâ quadam viâ & modo, quàm cæteri omnes magiſtratus. Non enim ſuffragiis populi; ſed Senatu iubente, à Conſule dicebantur, qui noctu auſpicatò aliquem è Conſularibus, quem ſibi cumque viſum eſſet, nominabat. Quòd *noctu*, Liuius aliquotiens docet, & clarè lib. 4. *Noctis deinde ſilentio, vt mos eſt, L. Papyrum Dictatorem dixit.* Quòd *auſpicatò*, Cicero 3. De leg. *Isq́ue aui ſiniſtrâ dictâ populi magiſter eſto.* Idemque Liuius indicat lib. 8. Quòd *è Conſularibus tantùm*, idem Liuius lib. 2. *Conſularem*, inquit, *legêre: ita lex iubebat de Dictatore creando lata.* Et prudenter profectò, quòd vnius hoc regimen creatum ab vno. Cùm enim ſubito ce[illegible]medio opus eſſet: quę ratio fuiſſet, ſuffragia exſpectare & campum; immò cùm ſæpe contra ipſam plebem: quo-

quomodo eligerentur à plebe? Quanquam variatum interdum in hac re non nego, siue per absentiam Consulum; siue per licentiam eorum, qui Dictaturas inuasêre.

Potestas autem huius magistratus ampla, vel potiùs eximia. De pace en[illegible] belloque agere exercitus scribere, ed[illegible] cere, dimittere, omniaq; negotia ger[illegible] re liberè & pro arbitrio poterat; ade[illegible] vt nihil horum vel ad Senatum refer ret. Notant Dionysius lib.5. & Polyb. li. 3. Itaq; non solùm ius omne duorum Coss. translatum in vnum (: quâ de caussâ etiam διϛύπατον, quasi *duplicem Consulem*, Græci eum dicunt.) Sed hoc amplius. creato eo cęteri omnes magistratus abdicabant; Tribunis tantùm exceptis: relinquebaturq; velut frenũ Reip. in manu vnius. Quin bona il[illegible]temque adimere ius; animaduertere in vitam & caput ciuiũ, idq; sine vlla prouoca-

uocatione. Ad quod ſingulare ius exprimendum, XXIV. faſces illi præferebãtur; & totidem ſecures etiam in vrbe vt nihil mirer, terroribus tantis propoſitis, à Libio ſcriptum: *Edictum Dictatoris pro numine ſemper obſeruatum.* De prouocatione tamen non perpetuum fuiſſe, ſuadere videtur apud Feſtum OPTIMA LEX: & quod apud Liuium exſtat illuſtre exemplum pro vocationis: etſi abrogatam eam expreſſè nuſquam legerim; & videam, Sullam poſterioreſque Dictatores ſummo eo iure vſos.

Sed hæc tamen tanta vis meritò terminis quibuſdam circumſcripta, ne exorbitaret. Primùm enim, ſemeſtre duntaxat id imperium eſſe voluerunt; ne in Tyrannidem ſpatio aut conſuetudine iret & quòd quibuſdam prorogatum in annum reperias; ob neceſſitatẽ Reipub. factum ſcito; & præter morem:

vt in Camillo, L. Papyro, Fabio Maximo. Nam Sulla, & postea Cæsar, qui Dictaturam perpetuam inuasere, leges & instituta Reipub. palàm spreuerunt. Secundò, locis etiam inclusa, nec permissum Dictatori, cum imperio extra Italiam ire: scilicet, ne procul ab oculis ciuiũ & Senatus res faciliùs innouaret. Dio. clarè notat 36. lib. idq; semel dumtaxat vetere Repu. violatum, in Attilio Collatino, qui primus Dictator exercitũ extra Italiam duxit; obseruát Liuij Epitoma 16. Tertiò, equum adscendere iis vetitum, nisi ad bellum ituris: siue, vt ostenderetur vis præcipua Romana in pedite: siue potiùs, ad arrogantiam minuendam, & vt hac parte cum plebe æquaretur. Atque his cautionibus & modestiâ gerentium factum, vt per annos. c c c c. quietissimè, & optimo publico magistratus is gereretur: donec L. Sulla & C. Cæsar in tyrannidem eum verterunt;

runt;& nomen id exoſum fecerunt Romanis:adeò,vt poſt necem Cæſaris lata lex ſit, qua Dictatura è Repub.ſublata. Cic.in Philipp. & Dio.44. Appianus 3. Ciuilium.

Hæc de Dictatura:cui velut adiutor & adminiſter *Magiſter Equitum* fuit: quem ipſe Dictator ſibi liberè eligebat; modò is tamen è Conſularibus,aut Pręториis eſſet. Sanè Dio.vt inſolens,notat, quòd Cęſar Magiſtrum equitum Antoniũ elegiſſet, qui Prætor nondum fuiſſet.Itaq; is loco & munere ferè Prętoris fuit,vt è Cicerone colligimus 3.de Leg. habuitq;eadem inſignia;Prætextam, Curulem, & vi.lictores.Dio. lib.42.&.43.

CENSVS QVANDO INstitutus: Itémque censores, cur ita dicti: tẽpus eius magistratus: insignia, dignitas, & munus.

Capvt XVIII.

Censvm, rem saluberrimam populo Romano, primus instituit Seruius Tullius sextus inter Reges: nec magistratum aliquẽ rei proprium adhibuit; sed exercuit ipse. Itaq; regium id munus habitum; iisq́; pulsis, consulare: donec, crescente paullatim imperio Coss. non fuerunt tot ferendis oneribus pares. Itaq; cùm intermissa diu *Censio* esset, (per XVII. annos, inquit Dionysius) caussâ exortâ desiderandi noui magistratus, & Senatu imprimis adnitente, creati *Censores*, An. Vrb. 311. quibus id nomen ab ipsa re datum: siue, quòd ad eorum censionem, id est, arbitrium, populus

pulus cenſeretur, ait Varro: ſiue, quòd quiſq; tanti ſua æſtimaret, quanti illi cenſuiſſent, ait Feſtus. Et ſanè ab cēſendis æſtimandiſq; facultatibus primò dictos, veriſſimum eſt: quoniam potiſſima hæc creandi cauſſa; & paulatim adiuncta cura morum. Itaque Græci etiam à taxatione verterunt Τιμητάς. Duo autem initio creati: totidem ſcilicet, quot Coſſ. quorum vicem etiam hac parte ſuſtinebant. Et creati in annos quinque: nimirum quia luſtris duntaxat ſingulis cenſeri populum vetus inſtitutum fuit. Sed tamen paullò pòſt, cùm dignitas & vis huic magiſtratui creuiſſet, & nimis diuturnum id imperium videretur: *lege Æmiliâ* cautum (tulit eam Mamercus Æmilius Dictator, Anno 320.) ne plùs quàm annua & ſemeſtris Cenſura eſſet: quod in poſterum obtinuit, & creati quidē ſingulis quinquenniis; at non in quinque annos.

F Am-

Ampliùs hæc tria seruata in creatione eorum reperio. I. Vt è Consularibus essent, quod post bellum Punicum secundū semper obtinuit; antè, aliter interdum. II. Vt ne bis crearentur: quia onerosa populo futura videbātur altera eorum potestas. III. Vt sine suffectione, id est, vt mortuo vno è CESS. neminem alium subrogari mos esset; immò illum ipsum abire magistratu statim, qui superesset. Liuius clarè notat lib. 5. & 9. Plutarch. probl. 50. apud quos & caussa. Dignitas hæc magna: nec diu quidem, sed honore tamē supra Coss. ipsos: quorum omnia etiam insignia habebant, præter lictores.

Munera eorum varia; sed trahi ad duo capita possunt: æstimationem facultatum, & morum. Ex illa est, quòd publicas priuatasq; omnium opes describerent: populum iuxta eas in centurias & classes distribuerunt. Vbertim

nobis

nobis in Liuio explicatum. Item, quòd vectigalia locabāt,& iis per Prouincias *leges* dabant, quæ *Censoriæ* appellatæ: opera publica erigebant, inspiciebant, probabant, sarta tecta exigebant: vias publicas tuebantur,& reficiebant; quā curam in Vrbe semper habuêre: extra Vrbem paullò seriùs sumpsere, ex Liu. 41. in extremo: pretia denique sacrificiorum publicorum curabāt. Plutarch. in Catone. Ad morum verò æstimationem spectat: quòd Senatu eiicere, equū adimere, tribu mouere, ærarios facere potuerunt. Hæ enim fere animaduersiones Censorum, & ignominiæ quas inurebant. *Senatu eiicere* non aliud erat, quàm initio Censuræ, cùm Senatum legerent, nomen illius aut illius Senatoris in recitando prçterire, quo velut tacito indicio censebantur loco moti, nec nomen eorum vltrà in albo Senatorum. *Equi ademptio* ad alterum ordinem spe-

ctat; nempe ad Equites: quos in publicâ recensione moris erat ad Censorum sellas venire, equum manu ducentes: quos si probarent, PRAETERIRE & traducere equum, solemni verbo iubebant: sin aliter equum adimebant, vẽdi iubebant. Tertia & quarta nota propriè ad plebeios pertinebat: quos aut tribu mouebant, id est, Liuio interprete, mutare iubebant tribum, & ex honestâ rusticâque in minùs honestam siue vrbanam transferebant: aut ærarios relinquebant, id est, suffragij ferendi potestate priuabant; ad hoc tantùm innumero ciuium, vt æra tributi nomine penderent. Id appellabant *in ærarios*, id est, in tabulas, *referre* caussam. Vide in Agel. lib. 4. cap. 20. Adimebant ergò CESS. quod cuique ordini summum est: Senatui curiam; Equiti publicum equum; Plebeio tribum aut suffragium. Quod discrimen tamen


ita accipiendum;vt sciamus, interdum Senatorem aut Equitē grauius peccantem, plerisq; his notis simul affectum: ita inquam,vt non præteriti solum, aut equi adempti sint; sed tribu etiam moti,& ærarij facti.Exempla in Valerio & Liuio lib. 4. & 44. quo loco turpis macula eluenda,& *ærarius* legendum; non *operarius*:distinctione item mutatâ. His animaduersionibus caussæ semper subscriptę:excipio præteritionem Senatorum;cui rationē adscribi,haud veteris instituti fuisse,Liuius ostendit. Administrata hæc omnia in villâ publicâ, in campo Martio:iisq;ordine expletis,lustrum à CESS. condi solitum, vota pro salute publicâ concipi,&sacrificium suium & taurilium fieri,Mansitq; integra hæc Censuræ his(firmum rei Romanæ vinculum) ad P. Clodij Tribunatum: qui immuniuit,vetuitq;,aut in legendo Senatu quemquā præterire, aut ex aliis

ordinibus ignominia adfici; nisi qui legitimè accusatus & damnatus. Sed eam ipsám Clodij legem sustulit paullò pòst, Anno Vrbis 702. Metellus Scipio Cos. veteri iterum & libera potestate Ces. permissa: quæ tamen sub Principibus iterũ minuta; immò mortua: nisi quòd longo interuallo reuixisse in Decio videtur. de quo apud Pollionem in Valeriano; vbi & officia Censuræ distinctè descripta, quæ vtiliter legas. Conatus quoq; eandẽ restituere Theodosius, siue Arcadius: sed à Senatu repudiata est, Symmacho adnitente & suadente, vt ipse fatetur li. 4. Ep. 29. & 45. lib. 7. Ep. 9.

DE INTERREGE.
Capvt XIX.

VEtvs hic magistratus, creatusque propriè comitiorum caussâ. Origo illi à morte Romuli. Et quia creatus per interregnum, mediusq; inter duos Reges;

ges, dictus *Interrex*: Græcis *μεταβασιλεύς*. Eius creatio è Patribus tantùm. Tẽpus quinquediale. Munus idem quo Coss. Plura pete ab Onuphrio, in li. 1. Festorũ.



IVSTI LIPSI
DE VETERE SCRIPTVRA.

VT de *vetere Scriptura* pauca præmoneam: differt ea ab recentiore, quæ hodie in vsu est, vel *quantitate*, vel *qualitate*, vel *vtráque*.

Quantitas in *additione* cernitur, vel detractione. *Additio*, aut *Vocalis* est, aut *Consonãtis*. *Vocalis* additio, est in diphthõgis EI. & OV. Sic enim *Eidem*, *Ious*, scripsere: pro *Idem*, *Ius*. Sic *Leitem*, *Leimites*, *Meilitiæ*, *Opeima*, *Inueito*: pro *Litẽ*, *Limites*, *Militiæ*, *Opima*, *Inuito*. Sic *Eito*, *Deixi*, *Seierit*: pro *Ito*, *Dixi*, *Sierit*. Itẽ, *Quei*. *Sei*, *Nei*: pro *Qui*, *Si*, *Ni*. *Nei* tamen etiã pro *Ne* vsurparunt interdũ; & quidẽ non ratò.

Sic *Vtei,Vbei,Ibei*,pro *Vti,Vbi,Ibi*.Eamdẽ diphthongum vſurparũt *Genitiuis ſingularibus*:vt *Dolei malei*,pro *Doli mali*. Item *in Nominatiuis pluralibus* : vt *Iei*, *Treuirei*, *Decumanei*:pro *Ii,Treuiri,Decumani*.Item *in Datiuis* & *Ablatiuis pluralibus* : vt *Ieis*, *Tertieis*. *Recinieis*: pro *Iis*,*Tertiis*, *Riciniis*. Præterea *in Datiuis ſingularibus tertiæ declinationis*:vt *Mortei,Clientei:* pro *Morti*, *Clienti*.Item *Alterei,Sebei*:pro,*Alteri,Sibi*. Et frequentiſſimè *in Nominatiuis atque Accuſatiuis pluralibus*:vt*Omneis,Ciueis*,pro *Omnes,Ciues*.

O verò ad V.adiecte, tũ alia ſunt exẽpla,tũ hæc:*Iouis*, *Iouſta,Ioudicare*:pro,*Ius*, *Iuſta,Iudicare*:Item ,*Souo*, *Louci*, *Doucito*: pro,*Suo,Luci,Ducito*.In quibuſdam vtrãque Diphthongum coniunxerũt: *Soueis*, *Ioudicei*,pro *Suis*, *Iudici*. In nonnullis V. geminum vſurparunt, pro OV ſeu V.vt *Pluus,Secuus*: pro *Plus,Secus:* Sic *Comitiatuu,Arbitratuu*:pro *Comitiatu* , *Arbitratu*.

In-

Interdum O post V. interseruerunt: vt *Queicuomque*, pro *Quicunque*.

Consonantes quoque interseruerunt; vt *Quotiens, Quotienscunq;*, pro *Quoties, Quotiescunq;*. Sic *Exsigunto, Exsercere*, pro *Exigunto, Exercere*. Itē *Quips, Aliquips*, pro *Quis, Aliquis*. In *Iouxsta* verò, pro *Iuxta*, gemina est insertio; vocalis O & Cōsonātis S.

In quibusdam integram syllabam interseruere: vt *Postidea, Indetestato*, pro *Postea, Intestato*. Eius generis etiam *Æuitas* videri alicui possit: sed habet illud legitimā *ab æuo* deriuationē: in *Ætas* verò, quòd pòst vsurpari cœpit, facta est cōtractio. Quibusdā à fronte Cōsonātem adiecere; vt *Stlis* pro *Lis*. Nonnullis in fine: vt *Ead, Tuod, Plebed, Frauded*: pro *Ea, Tuo Plebe, Fraude*. Sic in verbis. *Datod, Remouetod, Luitod, Estod*: pro *Dato, Remoueto, Luito, Esto*. In *Exsercetod* autem geminata est additio; semiuocalis S. & mutæ D. Sic in *Leibertated*, additio est Vocalis E,

& Consonantis D.

Detractio & ipsa, *vocalis* est aut *consonæ*. *Vocalis* detractio est in monophthõgis illis: *Fenus, Femina*: pro *Fœnus, Fœmina*. Sic *Heres*, pro *Hæres*. Quamquam eã vocem non ab *hærendo*, sed ab *hero* deductã malũt eruditiores. Detractio etiam quibusdam videtur esse in verbis istis: *Aditio, Eicito, Deicitor, Conicere, Subicere*: pro *Adiicito, Eiicito, Deiicitor, Coniicere, Subiicere*. Quod si ita est, eadẽ ratione simplex *Icere*, contractum erit ex *Iacere*. Sic certè *Dis*, contractum ex *Diis*.

E Consonantibus etiam, quæ nunc geminari solent, omittebant alterã: vt *Osa, Clase*: pro *Ossa, Classe*. Item *Aceras, Conubia*: pro *Acerras, Connubia*: *Pelex, Tolito, Poluceto*: pro *Pellex, Tollito, Polluceto*.

Qualitas in commutatione potissimũ cernitur. Eaque *Vocalis* est, aut *Consonãtis*. *Vocalis*: vt E. pro I. Sic enim *Leber, Addecito*, scripsere: pro *Liber, Addicito*. Item V.

pro

pro l. *Æstumata*, pro *Æstimata*. Sic *Optumus*, pro *Optimus*. eadẽ ratione *Postumũ*, à veteribus dictum volunt eruditi: vt significat non tam eum, qui post inhumatum patrẽ est editus: quàm eum, qui postremus patri seu viuo, seu mortuo, natus est. Itẽ V. & Y. vt *Æguptus*, pro *Ægypt'*, quemadmodum *Mus* quoque & *Sus*, & huius generis alia, ex Græcis μῦς, σῦς. Frequẽtiùs O. pro V. vt *Totela*, *Porporea*, pro *Tutela*, *Purpurea*. Sic *Osocapitor*, pro *Vsucapitor*. Item *Soper*, *Quõque*: pro *Super*, *Quũq;*. Sic in *Nominum* finibus: *Patronos Seruos*, pro *Patronus*, *Seruus*. *Vitiom*, *Manom*: pro *Vitium*, *Manũ*: Necnõ in *Verborũ* finibus: *Conseront*, *Moritor*: pro *Conserunt*, *Moritur*.

In nonnullis geminatur hæc mutatio: vt *Piacolõ*, *Fortom*, *Foratos*: pro *Piaculũ*, *Furtum*, *Furatus*. In quibusdã hęc cum superiore cõiungitur: vt *Leborom*, pro *Liberũ*. Sic *Ædebos*, *Compedebos*, *Noctebos*, *Tibicinebos*, *Superstetebos*: pro *Ædibus*, *Cõpedibus*, *Noctibus*, *Tibicinibus*, *Superstitibus*.

Interdum diphthongo OE & OI pro longo vsi sunt: vt *Oetier*, *Oosocapio*, *Oesorpatum*: pro *Vti*, *Vsucapio*, *Vsurpatū*. Sic *Cœratores*, pro *Curatores*. OI pro V. positum, in *Oitier*, *Oitile*, consimilibus. Sic *Moinicipium*, pro *Municipium*.

Consonantes quoque non paucas inter se commutarunt. C. pro G. frequenti in vsu fuit. Sic enim *Cenas* dixerunt pro *Genas* Sic *Frucem*, *Lece*, pro, *Frugem*, *Lege*. Itidemque *Lecere*, *Rocato*: pro *Legere*, *Rogato*. D. pro L. posuere; cùm *Dingua* dixere, pro *Lingua*. Sic *Fedetrio*, pro *Feretrio*.

F. pro B. vsurparunt sequente Vau: vt *Af virod*, pro *Ab viro* Q. pro C: vt *Pequnia*, pro *Pecunia*. S. pro R. vt *Asa*, *Nesuo*, *Casmen*: pro *Ara*, *Neruo*, *Carmen*. Sic in Nominum flexionibus: *Maiose*, *Minose*, *Arboses*, *Plusa*: pro *Maiore*, *Minore*, *Arbores*, *Plura*. Sic *Fenose vnciasio*, pro *Fenore vnciario*. Item in Verborum flexionibus: *Arasit*, *Vocasit*, *Secuesit*, pro *Ararit*, *Voca-*

Vocarit, *Secuerit*. T. pro D. vt *Quit*, pro *Quid.*

In compoſitis,finalem Præpoſitionis conſonantem plerúmque retuerunt:vt; *Conlegium*, *Improbus*, *Adſignare*, *Attribuere*.Interdum tamen etiam mutarunt: vt *Opſepito*,*Opturato*,*Optinere*.

In quibuſdam geminata eſt commutatio:altera Cõſonantis, altera Vocalis: vt *Rocom*,*Flacitiom Prodicos*, pro *Rogum*, *Flagitium*, *Prodigus*. Sic *Acron*, *Acnom*, *Ticnon*:pro *Agrum*,*Agnum*, *Tignum*,Item *Fidios*,pro *Filius*:*Ofuagolatom*, pro *Obuagulatum*:*Poplicom*,pro*Publicum*:*Quoi*, pro *Cui*:*Auſom*,pro*Aurum*.Sic*Capiumtor*,pro *Capiuntur*.

In quibuſdam duarum Vocalium, & vnius Conſonantis facta mutatio : vt *Centileom*,*Aruorſon*, ſeu *Aſuorſom*, *Pluſebos*:pro *Gentilium*, *Aduerſum*,*Pluribus*. In nonnúllis gemina conſonantis mùtatio eſt:vt *Arcueſit*,pro *Arguerit*.

In-

Interdum *quantitatis* metaplaſmos cõiunxerũt, additionem ſcilicet & detractionem: vt *Iouſus*, *Iouſit*: pro *Iuſſus*, *Iuſſit*. Sic *Poplei*, *Confeſei*, *Demiſeis*: pro *Populi*, *Confeſſi*, *Demiſſis*. Interdum ad *quantitatis* metaplaſmum adiũxerunt metaplaſmũ *qualitatis*: vt cùm vnum idémque vocabulum additione & cõmutatione transformarunt. Sic enim *Deicundo*, *Addeictos* vſurpata: pro *Dicendo*, *Addictus*.

Sic *Maxſumo*, *Proxſumos*, *Fouſioſos*, pro *Maximo*, *Proximus*, *Furioſus*. His adde *Endo*, *Entera*, *Sopera*, *Continoeis*: pro *In*, *Intra*, *Supra*, *Continuis*: in quibus commutatio præcedit: additio ſequitur.

Detractionem quoque & commutationem quandoque copularunt. Idque commutatione interdum ſequente: vt *Adecito*, *Poplos*, *Præſetebos*: pro *Addicito*, *Populus*, *Præſentibus*. Interdum præcedẽte: vt *Sobicito*, pro *Subiicito*. Sic *Olo*, pro *Illo*: Item *Faſis*, pro *Farris*. In quibuſdam

triplicatus eſt metaplaſmus: vt *Pupilei, Præſeted:* pro *Pupilli, Præſente.*

In *Nominum flexionibus*, præter ſuperiora, notabilem mutationem habent: *Folminis, Ipſos, Im:* pro *Fulmen, Ipſe, Eum.* Sic *Oloe*, pro *Illi*. In *Verbis* quoque varij, præter ſupradictos, metaplaſmi à veteribus facti ſunt: vt in verbo ſubſtantiuo *Eſcit* & *Eſcunt*, pro *Erit* & *Erunt.* Itéque *Siet, Sient:* pro *Sit, Sint:* & in futuro perfecto, *Fuat*, pro *Fuerit*. Eiuſdem futuri perfecti magna in aliis quoque verbis eſt varietas: vt *Vindicit, Verberit, Prohibeſſit, Occiſit:* pro *Vindicarit, Verberarit, Prohibuerit, Occiderit.* Item *Tagit*, pro *Tetigerit: Pacit* & *Pacont*, pro *Pepigerit* & *Pepigerint: Faxſit, Rupſit*, pro *Fecerit, Ruperit: Paret, Cepet:* pro *Parauit, Ceperit, Miſeit, Viueit* pro *Miſerit, Vixerit*. Item, *Duit, Adduit, Conduit, Tranſduit:* pro *Dederit, Addiderit, Condiderit, Tradiderit.* In paſſiua etiam forma: *Turbaſſitur*, pro *Turbatum fuerit:*

Fa-

Fariator, Nancitor, pro *Fari velit*, *Nactus fuerit*. Item *Darier*, *Leibarier*: pro *Dari*, *Libari*. Sic *Oetier* & *Oitier*, pro *Vti*.

In *Coniunctis vocibus* facta interdum ſeparatio: vt *En do*, *In do*, *In-du*: pro *Endo*, *Indo*, *Indu*. Sic *Indo teſtato*, pro *Inteſtato*: *Endo ponito*, *Endo iacito*, *Endo manos iactio*: pro *Imponito*, *Iniicito*, *Manus iniectio*. Item *Quicuomque*, pro *Quicúmque*: & conſimilia. Contrà interdum coniunguntur, quæ alioqui ſeparari ſolent: vt *Stato leberum*, pro *Statu liberum*.

FINIS.

COMMENTARII
VINCENTII LVPANI
DE MAGISTRATIBVS
ET PRÆFECTVRIS
Francorum.

AD LECTOREM.

DVces, Comites, Marchiones, Præfectos à Regibus ciuitatibus, & gentibus, &, cùm eis commodum videretur, dimitti solitos Paulus Æmilius, & Beatus Rhenanus memoriæ prodiderunt. deinde moribus receptum est, vt quoad vita superstes esset, id honoris haberent, nec, nisi sceleris conuicti, dignitate priuarentur: eiusq; rei nomine sese Regum beneficiarios profiterentur. reliqui magistratus perpetui, & codicillares fuere: licet id ipsis codicillis scribi soleat à Rege: QVOAD NOBIS PLACVERIT: *neque moribus nostris licet viuentis magistratum petere, aut ab aliquo gesti magistratus rationem reposcere: quamuis Philippi pulchri edicto sancitum sit, vt tertio quoque anno in Consiliarios Regios inquireretur. Tamen concussionum, sordium, & corruptelæ reis peractis, in aliquot annos, & nonnun-*

nunquam in perpetuum, ſolent magiſtratus adimi. Poſtremò Diui Ludouici & Caroli quinti edictis cautum eſt, ne magiſtratus venirent: ſed viris mandarentur frugi, doctis, & omnibus numeris continentiæ ac prudentiæ ornatiſſimis: eiúſque rei veſtigium ſolum reſtat, cùm in curias cooptandi, & Iuridici conceptis verbis à Præſide rogantur, num pecuniis magiſtratum conſequuti ſint. Verùm Ludouici duodecimi edicto eorum publica facta eſt dinundinatio, vt ſcribit Gaguinus: quod edicto hoc Principe eſt prohibitum. Sícque Veſpaſianus & Heliogabalus honores vẽditare ſolebant: à quibus longè diſſentiebat Alexander Seuerus, qui honores vendi nunquã paſſus eſt: NECESSE ENIM *dicebat,* VT QVI EMIT, VENDAT. *deinde ſubiungebat:* NON PATIAR MERCATORES POTESTATVM: QVOS SI PATIAR, DAMNARE NON POSSIM. ERVBESCO ENIM PVNIRE ILLVM HOMINEM QVI EMIT, ET VENDIDIT.

REGIA MAIESTAS.

FRANCI, siuè ab extremis Septentrionalis Oceani populis profecti, siuè à Scythis, aut (vt ipsi contendunt) à Troianis oriundi, in Germania sedes posuere ad Rhenum in Tencteris iuxta Chamauos, veteres Sicambrorum sedes, vsque ad Mœnum, & Salam fluuios, Catthorum locis aliqua ex parte occupatis, vt commodius Gallos, finitimos, bellis & incursionibus quotidianis lacesserēt. qui, cùm miro desiderio Galliæ occupandæ tenerentur, frugum dulcedine, & cœli amœnitate allecti, Rheni transitu ab Aetio Patritio, imperante Valentiniano tertio, sunt prohibiti. tandem, Rhenum transgressi, in Germania inferiori, & Belgica superiori, inferiorisque parte consedere, posteáque sensim, quicquid Galliarum supererat, suo imperio adie-

adiecere: & Frãcia dicta primùm quicquid Merouęus tenuit. Cum verò, latè propagatis finibus imperij, rebus gestis & Christianæ pietatis cultu orbem impleuissent, missi oratores ab Anastasio Imperatore, qui Clodoueum, iam Christianam religionem profitentem, Consulem, & Patritium salutarent: missique alij cum maximis muneribus, & Tyberij imagine ad Chilpericum. adeò formidabile iam tum ab initio Imperatoribus Romanis Francicum nomen fuit. Vbi maiora pietatis, iustitiæ, clementiæ monumenta? quæ sic hominum mentibus, & literis impressa sunt, vt ea nulla temporis obliuio delere possit. Quamobrem fieri arbitror, vt authoribus Platone, & Xenophonte, QVALES SINT PRINCIPES, TALES SINT CIVES. Est autem regnum Francorum παμβασιλεία, apud eósque tantum Regium nomen valet, vt tanti quæque res

ſit, quanti à Regibus æſtimatur. Solent enim homines plerúmque vitam principis æmulari. tanta verò in Reges ſunt obſeruantia, quāta poteſt dici maxima: adeò, ſacramento Regi dicto, Franci religione tenentur. Itaque belli indicendi; pacis firmandæ, vectigalis imperandi, legum ſanciendarum, creādorum magiſtratuum illi ius: & in ſumma, quodlibet, licet: & quæ dicit, pro legibus habentur: ea tamen moderatione, vt, Antigoni exemplo, id ſibi tātum licere putet, quod natura honeſtum, & per ſe rectum ſit. Populus verò, atque adeò proceres, tanta veneratione Regem colunt, vt, pro eius dignitate conſeruanda, non opes tantùm, ſed vitam ipſam profundere non dubitent. Itaque non immeritò Xenophon boni paſtoris, atque Regis exempla confert: quando Plato, more Homerico, Reges paſtores vocat. quid enim melius vnius prin-

principatu, qui idem ſit optimus? At quales fuerint Principes, tametſi vnuſquiſque intelligit, omnibus tamẽ multò teſtatiſſimum ex iis erit, quæ à me carptim, ſummatimque, & breuiter, hoc loco dicentur: atque interim ad alia tranſibo.

DELPHINVS.

POſt explicatam à me Regiæ maieſtatis auctoritatem, breuius fortaſſis quàm res tanta dici debeat, prima rerum ſerie ſe offert Delphinus, regis apud nos hęres proximus, & neceſſarius: de cuius origine pauca mihi dicenda ſunt, ſi prius monuero te, in antiquis monumentis, atq; eius epitaphio, quòd Luteriæ in Dominicanorum templo adhuc legitur, Calphinum ſcribi, cum hac inſcriptione. HVMBARTVS ENNEVS DALPHINVS VIENNENSIS.

Cùm itaque Vmbertus, Delphinatium Princeps (ſic enim eum appellat Paulus Æmilius) ex filij morte, quem vnicum habebat, dolorem tantum concepiſſet, vt ſæpius cogitarit monaſticam vitam profiteri, adhæc à Saubaudo cõtinuo bello premeretur, viribus impar, dum ſuis conſultum vult, omni dominatu Philippo Valeſio ea conditione ceſſit, vt Regis proximus hæres Delphinus vocaretur. ita enim principes ſuos Delphinates appellabant. Alias cauſas adfert Nicolaus Gillius: nempe Imbertum (nam enim ſic vocat) ſtomachoſo animo erga ſuos hęredes, religionis tamen ſpecie, vniuerſæ ditionis ſuæ ius quadraginta ſcutatorũ milibus Philippo Valeſio vendidiſſe ea conditione, vt Regis proximus hæres Delphinus diceretur, eiq;, quoad viueret quotannis penderentur Florenorum decẽ millia, ipſéq; poſtea Lugduni ſe Domini-

nicanorum cœnobio destinauit. tandē Lutetiæ in Dominicanorum templo sepultus est. Primus hoc Delphini cognomine censūs Carolus Quintus. Antè regum maximi natu filij, vel quibus Regnum hęreditario iure obueniebat, suis nominibus vocabantur. Neque enim priscis illis temporibus tam honorifica fuit appellationum ratio, ac nunc. Apud Angelos mos fuit, vt quem Rex sibi successorē optasset, Normaniæ Dux diceretur, dum ea potiebantur Angli, vt tandem à regibus Francis recepta, Vualliæ Dux vocatus est. At qui apud nos Delphini, apud Romanos Cæsares dicti sunt, quasi quidam Principum filij, & designati Augustæ maiestatis hæredes, vt author est Spartianus in Ælio Vero. hinc Germani Romanorum Regem Cæsarem appellant. Iidémque Principes dicti iuuentutis, testibus Tacito, Suetonio, & Lampridio: quantáq;

fuerit Cæſarum dignitas,& partes ſatis explicant Herodianus,Iuſtinianus conſtitutione triceſima , & Capitolinus. Hoc verò auſpitium erat futuris Imperatoribus: vndè ab Hiſpanis qui mortuo parente regnum adepturi ſunt, Principes appellantur, & Infantes Regum filij.Quem morem ſuſpicatur Laurentius Valla à vetuſta Romanorum conſuetudine ſumptum, apud quos,teſte Hieronÿmo, filij etiam grãdes à parentibus Infantes vocitabantur. Qui mos Francis quoque inoleuit. Nam vt Grȩci παῖδας,ſic noſtrates filios,pueróſque appellant infantes. Denique filij Imperatorum Græcorum Deſpotæ vocabantur. quod vſu apud nos receptũ eſt. Dominum enim vocamus Delphinum, digna tanto principe appellatione, & Græca dictione Græcæ reſpondente μόνον κύειον. At Regem, detorta voce Græca in Frãciam,κύειον.Nã Francis

cis nulla est differentia inter C, & S, in pronuntiatione, quando C præcedit I, aut E. Nã ita Cicero pronuntiant, veluti si Sissero scriberetur. Græci imperatores δεσπότας, Latini Dominos vocabát: quo nomine Augustus, Tyberius, & Seuerus vetuerunt se appellari. Imperatorumq; coniuges Augustæ, Dominæ, δέσποιναι nuncupatæ. Hodie apud Francos, Hispanos, Italos, nobis obuios quosq;, si nomen non succurrit, Dominos salutamus, vt olim veteres solebant, teste Seneca. Lõgè tamen blãdiore salutatione vtuntur Itali, & Hispani, quàm nos. nobis tamé hoc cum illis cõmune est, præter alia multa, vt Signores salutemus, quos honore aliquo dignos putamus, quasi seniores. Sic à Christianis Presbyteri dicti, quòd prudétia, & ætate cæteris essent venerabiliores. quod verbum ad dignitaté potius, quã ætaté refertur. Soliti verò sunt Principes secũdioribus rebus

rebus ſibi maiores titulos vſurpare, vt Alexander, qui Dario pulſo, & multarũ gentium principatu potitus, datis ad Singulas Græciæ ciuitates literis, publico totius Græciæ decreto, Deus dici poſtulauit: & Domitianus, exemplo Caligulæ, Dominum, & Deum ſe vocari coëgit.

Regens Franciæ.

SAtis vnicuique compertum, & cognitum arbitror, quot, & quam huic regno pernicioſos tumultus exciuerit graue hoc, & inuidioſum Rectorũ nomen, Principibus viris partim clàm tãtam potentiam illis inuidentibus, cùm ſe præteritos ſentiebant partim eorum imperium ferre nolentibus. Conſtitui verò cum imperio ſolét in interregno, ſedeque Regia vacua, aut Rege in longin-

ginquam expeditionem proficiſcente, aut captiuo, aut puero, aut mente capto. Quod ita à me pluribus explicabitur, vt cum veteribus exẽplis noua poſſis conferre. Itaque Chilperico vita functo, adhuc in cunis vagiente Clotario ſecundo, Guntranus, Patruus infantis, tutelam, & regni curam Landrico delegauit, ſummoto Childeberto Mediomatricum Rege eam affectante: & Philippus Longus, poſt diſceſſum ex hac vita Hutini fratris, Clementia grauida, ventris tutelam, & regni adminiſtrationem ſuſcepit: Caroloq́; Pulchro mortuo, relicta Ioanna vxore ventrem ferente; cùm Edoardus, Angliæ Rex: per legatos regni procurationem poſceret, communi trium ordinũ conſenſu, Philippus Valeſius Franciæ Rector creatus eſt: idémque, in Syriam exercitum parans, vocato Ioãne filio quatuordecim annos nato ad regni gubernacula, pri-
mores

mores in eius verba iurare coëgit: multóque ante D. Ludouicus, in Africam traiiciens, Simonem Neellam vnum ex primariis aulæ proceribus, & Matheum Vindocinenſem, Duumuiros regendo imperio conſtituit. Adhæc Carolus, poſt patrem captũ in Pictonibus, ſummæ rerum præfuit, ipſeque moriens, ne qua rerum nouandarum occaſio daretur fratribus, Ludouicum Andegauenſem Gazophylacem, atque Philippum Burgundum, & Borbonium pueritiæ filij moderatores reliquit. quo deinde eò furoris & inſaniæ propulſo, ad Cenomanorum vrbem, vt Epheborũ nonnullos occiderit, qui ſibi caſſidem, & lanceam præferebant, alios vulneribus malè mulctarit, donec cædendo feſſus abalienata mente equo decidit, Bituríx, & Burgundus, Patrui, regni procuratores facti ſunt. Denique, ipſius Caroli edicto, regni adminiſtratio Pan-

celtio

celtio attributa eſt. Moris quoque eſt, nondum maturo regendo imperio Rege pubere, regendi moleſtum hoc munus Reginæ deferre, vt poſt mortem Ludouici octaui contigit: tametſi moribus noſtris à regni gubernaculis mulieres arceantur. Rectorúmque tanta olim authoritas fuit, vt Caroli nomine, patre Ioanne captiuo, areſta fierent, reſcripta concederentur, edicta promulgarentur cum hac inſcriptione, CAROLVS, REGIS PRIMOGENITVS, FRANCIÆ RECTOR. Priùs tamen Regis tantùm Legatus dicebatur. Areſta verò ipſa Regiis verbis concipiuntur: ſicque Romæ in edictis Prætoriis nomen Imperatoris cum veneratione præſcribebatur.

MA-

MAIOR DOMVS, ET Coneſtabilis.

PErpetuum fuit Regibus inſtitutum πολύμητον aliquem ſibi eligere, qui rerum vſu, & explorata fide facilè primum locum apud eos haberet, vt, omni cura ſoluti, quieti ſe darent, qualis magiſter equitum Regibus Francis fuit. quod exitium attulit proli Magni Clodouei, noſtræ religionis authoris, Regibus præſertim ſeſe ignauiæ, & luxuriæ mancipantibus, EX REBVS PROSPERIS SEGNITIE ORTA. Sic Caliphæ, cùm ſe ſocordiæ dediſſent, Sultanos inſtituerunt. At Principe dignum laboribus innutriri, regere, non regi, ſuóque potius, quàm alieno conſilio regnum adminiſtrare, &, vt aiebat Veſpaſianus, ſtantem eum mori. Sed ad rem veniamus. Magiſterium Equitum non conſe-

consequebantur apud Francos, nisi primariæ authoritatis viri, & Principi necessitudine quadam, & sanguinis propinquitate coniuncti: ad quod honoris fastigium qui conscenderant, Magistri aulæ, vel Maiores domus, vel paltaij vocabantur. vnde Comiti Palatino nomẽ esse quidam opinantur. quod tamen Beatus Rhenanus non probat. nam Meier nostros in Maiorem vertisse scribit, Meiérque antiquis significare Præfectum, quemadmodũ in vsu esse ait quibusdam nationibus, ceu Saxonibus, Anglis, & Scotis, qui omnes insulares fuere: multóque maxima pars verborum Francicorum à Germanis profluxit. Verum in transcursu non duxi omittendũ à Procopio, libro tertio belli Vandalici, cuiusdam aulæ Præfecti mentionẽ fieri, quem à Romanis Prętorem dici scribit. sed, quis ille fuerit magistratus, non legi, vt multa sunt, propter scriptorum

inopiam,nobis incognita. Demùm Magiſtrorum Equitum olim tanta fuit authoritas,vt pro ſuo arbitrio,Regis tamẽ nomine,omnia gererent,quæ ad totius regni procurationem pertinerent, Regéſque μεγαλοῤῥοιῶτις (nã fortè, vt apud Perſas, ſub prætextu maieſtatis ipſi occultabantur) reſponſa gentibus per eos dabant, perpetuóque deliteſcentes, vt Ninus ille, tantum Calendis Maij populo ſpectandos ſe præbebant, ornata coma,& promiſſa.quod Regię maieſtatis inſigne erat: ídque eleganter oſtendit Agathius;libro primo belli Gothici. Subditi verò circuntonſi omnes.quem morem tenuerunt Franci, vſque ad Petri Lombardi tempora. Sed hoc à me de induſtria pluribus, vt oſtenderem, præter fabularium noſtrarum hiſtoriarum fidem, Francos olim non ſolitos comam ſummittere: tametſi in multis Chronicis legatur Clodij Comati fuiſ-

ſe

se institutum, vt Franci, in signũ libertatis, prolixiore capillo vterentur: vel, vt scribit Volaterranus, vt à Gallis discernerétur. Cęterùm Magistri Equitũ fuere, primis illis temporibus, Ebroinus, Martellus, Pipinus: quorũ maxima fuit apud Reges & gratia, & authoritas, Ipseq́ Pipinus à Pontifice Maximo Rex, vna & clara omnium voce, creatus, in ordinem coacto Childerico: eóq; pacto Regium nomé à stirpe Clodouei ad Pipinun delatum, Regũ ignauia, & postea ab eius sobole ablatũ: ITA INGENIORVM, VT STIRPIVM, SENIVM QVODDAM EST. Sed, vt rem omnem, altius repetitam, strictim, diligenter tamen, tibi explicemus, duplex de huiusce magistratus initiis opinio est. Prima asserentium Magistros aulæ, siue palatij Præfectos, aliquando Principes, vel Duces Frãciæ, additóq; nonnũquã epitheto, Magnos Duces nũcupatos: sicq; Mar-

tellum ſalutatum, habito totius Franciæ communi cócilio, Paulus Æmilius ſcribit (quod tamen maioris honoris cauſa factum putat) atque ita, multis annis conſequentibus, Hugonem Capetum vocitatum & annales excuſſi referunt, & in manu ſcripto codice Diui Victoris ad vrbem reperi, eóſque poſtea Coneſtabiles dictos, nomine fortaſſis ex Græca aula repetito, & ab Iuſtiniano vſurpato. Vnde Præfectus prætorio, quem ſub Dictatoribus Magiſtrum militum vocabant, labante ſenſim imperio Romano Magiſter ſtabuli dictus eſt apud Pomponium Lætum. Alij longè aliter ſentiunt, Maiorémque domus dignitate, authoritate, gratia, apud Reges differre à Coneſtabili volunt, illúmque non diſciplinæ tantùm militari, ſed rerum ſummæ præfuiſſe. hunc verò initio (quod nomen ipſum indicare affirmant) regio equili Præfectum fuiſſe,

fuisse, vt hodie Archippocomus, & ita Comitem appellatum, apud Græcos Cæsares, atque Conestabilem, siue Comestabilem, pro Comite stabuli, vocatum. Cæterùm, Conestabulatus dignitatem, nomen, decúsque ab iis accepisse, qui hoc magistratu fungebantur: Regésque ipsos, Præfectorum aulæ odio, atque inuidia, mutato nomine, Conestabili, quem ea ratione Magistrum militum Latinè vocare potes, rei militaris primas detulisse. Itaque criminum Militarium apud nos cognitio, & persecutio ad eum pertinet, emansorum, & eorum, qui absque honesta, aut causaria missione discesserint, & ad diem commeatus non venerint, exploratorum, proditorum, trāsfugarum, desertorum, prædæ, manubiarúmque, redemptionum, stationis relictæ, denique actionum personalium iudicio milites inter se litigantes audit: cui pro insigni gla-

dius est liliatus, quem ὕπαρχον gestare solitum ex hoc Traiani dicto memorabili colligitur, vt Dion, & Suidas referunt. Et, inquit ille, accipe gladium, & si rectè imperauero pro me, sin secus, in me vtere. ὕπαρχον verò hoc loco G. Budæus Præfectũ prætorij interpretatur. Cæterum Magnus Domesticus Imperatoribus Græcis ensem præferebat. quæ erat suprema dignitas post Imperatorem. quo honore functum legimus Catacunzenum imperãte Andronico iuniore. Huius porrò Equitum Magisterij inuisum, & odiosum nomem Regibus, memoriæ proditum est. Ludouicũ vndecimum lege lata sustulisse: qua cauebatur ne in posterum vllus Magister Equitum diceretur. Verùm, instituto vetere Francorum renouato, Ioãnes, Borbonij Dux, Magister Equitum creatus, Rege Carolo octauo, quo etiam honore Franciscus, Rex, Carolum Borbo-

bonium ornari voluit: post cuius ad Cæsarem defectionem, ab ipso Rege creatus Magister Equitum Annas Mōmorencius, Romanis verò erat Magister equitū: cuius, teste Varrone, summa potestas fuit in Equites, & Accensos, & instar Magistri Equitum Præfectus prętorio ab Imperatoribus Romanis electus: trésq; primùm, imperante Cōmodo Præfecti, prætorio creati. Verùm Magistri Equitū, & Præfecti prætorio distincta fuere officia. Itaq; non video Præfectum prætorio cū Archiœconomo conferri posse (Magnum magistrum appellāt) cùm dignitate, mea quidē sentētia, sint impares. Nā ille secūdam potestatē habebat militaris disciplinę post Imperatorē, authoribus Aurelio Iuriscōsulto, & Tacito, & apud nos quoque est Principis semper Legatus in re militari: qualis Burrus Neroni fuit. Verū postea eius authoritas aucta erga forenses

causas. Ego tamen rem totam vniuscuiusque arbitrio relinquo, qui rem diligentius perpenderit.

Pares Franciæ.

CArolus ille, qui ob rerum à se gestarum gloriam Magni cognomen habuit, confecto bello Saxonico, quod tricennale fuit, in Hispaniam magna collecta manu profecturus, vt Saracenos, Christianæ fidei perpetuos hostes, procul ab Hispaniæ finibus arceret, quorum vires iam toto orbi formidandas mathematici Heraclio cecinerant, delectissimorum, prudentissimorúmq; duodecim Franciæ procerum sodalitium instituit: qui proxima secundum Regem, ac inter se pari, vndè nomen habent, dignitate essent, in summarum rerum disceptatione: &, cùm Rex simpulo

pulo illo Remis vngitur, magna ceremonia, & frequentiſſimo procerũ conuentu adeſſent: quibus ſolis ſacrandi Regis ius eſt, & quaſi in regni poſſeſſionem mittendi. In ipſis enim Remenſibus ſacris Lingonenſis, & Bellouacus Epiſcopi, Regem ſolio ſubleuantes, ſimulant ſe à populo petere, num velit, iubeátque eum regnare: ac, velut annuente populo, à Remenſi Archiepiſcopo concepta ſolemnis & ſanctioris ſacramenti formula, iureiurando obſtringitur, his verbis à Rege prolatis, HÆC TRIA PROMITTO. Ex his ſeni dicuntur vulgò Laici, Burgundus, Normanus, Aquitanus, Duces: Flander, Cãpanus, Toloſas, Comites. Pontifices Lingonenſis, Nouiodunus, Catalaunus, Bellouacus, Laudunenſis, Remenſis: cuius inungendi Regis ſunt partes. Aquitaniam, Campaniam, Normaniam, poſtremò multò maximam Burgundiæ

partē facilè Reges Franci ſuo imperio adiecerunt. Flandriam verò, poſt captū Franciſcum Regem ad Ticinum, Carolus Quintus, Imperator, Francorum imperio exemit, & prouocationibus, quæ ad Curiam Pariſienſem deferebantur. quod vt sāctius haberetur, M.D.XLIIII pacis conditionibus adiecit. antè ſummum imperium in Flandros penes Reges fuit. Sunt porrò qui duodecim Frāciæ Primorum originem ad Arturum Britanniæ Regem referant: qui Franciā per aliquot annos tenuit. verùm eius rei nulla in hiſtoriis mētio, quod legerim, aut meminerim. Sat verò ſcio Nicolaum Gillium, hiſtoriæ ignorantia, ſcribere auſum etiam Troiani incendij tēporibus Parium hoc ſodalitium fuiſſe: quorum ſimilitudo quædā eſt apud Homerum, Odiſ. libro octauo, vt eleganter notauit G. Budæus. Cæterùm horum tanta olim fuit authoritas, vt de rebus omni-

omnibus,ad Rempublicam pertinentibus,ad eos referret Rex: si qua controuersia inter Proceres esset,horum arbitrio componeretur: si quod crimen admissum ad exemplum pertineret, horũ disquisitis sententiis iudicaretur.Denique penes eos erat rerũ summa. nã fœdera feriebant, belláq; iubebant: quos Latinè ea causa appellandos putat Patricios Gulielmus Budæũs, quasi patres cõmunis Reipublicę: ipsorumq́; speciẽ quendã præferebant ὁμότιμοι apud Persas,æqualis propè cumRege dignitatis. De Pariũ causis,Curiæ,non Iuridicorũ, cognitio,&iurisdictio est:quibus in primo illo concessu Curię Parisiensis(Magnam camerãvocant)sedendi,& sentẽtias dicendi post Præsides ius est. Pótificũ Lingonensis(licet id sibi sumat Remẽsis)Laicorũ(vt vocant)Burgũdus facilè Princeps,Carolo 7. iudice, cũ Remis,sacris,peractis,cõtẽtio orta esset,ꝗ pro-

proximum post Regem accumbendi mensæ locum haberet. Sunt tamen qui scribant Philippum Audacis cognomentum tulisse non à mensæ rixa, sed quòd in Pictonibus strenuum se præstitisset eo prælio, quo pater ab Anglis captus est, cùm fratres se conflictu subtraxissent, solúsque inter confertissima pugnantium tela patrem seruasset. Sed, vt ad rem veniamus, cùm Burgundiæ pars, Aquitania, Normania, Campania, Tolosa, Francorum Regum opibus accesserint, in Remensibus sacris peragendis à Rege delegantur, qui ipsorum Ducum, & Comitum vices gerant. Denique suos habent cōuentus iuridicos, id est magnos dies, à quibus ad supremas Curias prouocatur. A Flandriæ quodam Comite horum exemplo Patriciolos creatos scribit Gulielmus Budæus, & Pares Nigellanos dictos. Itaque non dubitát Robertus Gaguinus duo-

duodecim horum Procerum originem ad Carolum Magnum referre:eam,credo,vt auguſtiorem faciat. quod nec refellere,nec affirmare, in animo eſt. De eorum quoque origine à Paulo Æmilio ne verbum quidē, aut ab aliis, quos plurimos ea cauſa diligenter legi. Tantum ait(cùm Taſſilionis meminit,à Carolo Magno ad iudicium Procerum reuocati) nondum eo tempore Compares Franciæ Duces,Comitéſq;, eo, quo nunc,ordine,& maieſtate fuiſſe. Denique à quibus initiis creuerint,omnibus veſtigiis diſquiro. Quamobrem libuit, ex Dionis epitome à Ioanne Xiphilino compoſita, huic loco pertinentem hiſtoriam referre. Ait enim ſtante Republica omnia ad Senatum, & in commentarios publicos, referri ſolita. quo fiebat, vt ea nota eſſent omnibus. Poſteà,cùm euerſa Republica ad vnius arbitrium omnia ſunt redacta, occultè

geri ea, & adminiſtrari cœperunt: & quæ in vulgus emiſſa ſunt; quia nō poſſunt probari, fidem non faciunt. Nam omnia dici putantur in gratiam Imperatorum. Quamobrem quæ nunquam acciderunt, in ore ſunt omnium: contrà multa ſilentio prætereuntur, quæ acciderunt: reliqua aliter, quàm acta ſunt, narrantur. Quare magnitudo imperij effecit, & rerum geſtarum multitudo, vt nō poſſint ab vno res geſtæ accuratè perſcribi. Hæc ille. Vtinam verò e- oriatur aliquis, qui cornicum oculos cō- figat, & quo quidq; tempore factū fuerit, & creuerit, ex ſanctioribus ſcriniis Regiis, vel aliunde erutum, in medium proferat.

Mareſchali.

TRibuni, ſeu Præfecti militum, quatuor ſunt: ad quos, poſt Magiſtrum Equitum, rei militaris ſumma refertur,

perſpi-

perſpicuo exemplo claris virtute bellica viris honores mandari ſolere. Demũ Mareſchalum, quaſi equorũ Prefectum, dici ſcribit Beatus Rhenanus à Marca, antiquo vocabulo, equum ſignificante: quanquã Anſegiſus Marca vtitur pro limite. Gulielmus Budæus Mareſchalos appellatos putat quaſi maiores, hoc eſt iudices, in cabello ſedẽtes. ſed hoc durius. Quamobrem in vniuerſum lectorẽ monitũ velim haſce verborũ ἐτυμολογίας ideo obſcuriores, quòd vetuſtas multas deleuit. Nã multa verba literis cõmutatis ſunt interpollata, & hominũ ignorãtia multa deprauauit. Ideo, quæ nobis maiorum noſtrorũ incuria ademit, diligentia compenſanda. Tribunis ea poteſtas eſt in milites, quæ Magiſtri Equitũ: quorum ſunt partes caſtris locum eligere (vnde à nonnullis Magiſtri caſtrorum dicti) ac milites in officio continere: in quos vitæ, & necis poteſtatem habent.

habent. quod munus eis mandant, quos vulgò Preuostos Mareschalorũ vocant. Similes his propè fuere Irenarchę quorundam iudicio, Aurelio, Martiano, Iustiniano emendandis moribus, & disciplinæ publicæ præfecti: quibus, Regio edicto, commeatuum castrensium cura est, eisque prætium statuunt, &, absque prouocatione, emansores, apolidas, acęcos, per lasciuiam aliquid agentes, mulierum stupratores, ferarum confectores, capitali pœna afficere licet. deniq; ad eos omnium criminum militarium coertio pertinet. Larruncuiatores Latinè appellaueris. Verùm, quando in militum mentionem incidimus, non abs re fuerit commemorare Carolum septimum, post Anglos Francia pulsos, in rei militaris studium tanta cura incubuisse, vt regnũ per multos annos continuis bellis attritum præsidiis, munitionibúsque firmare statuerit, Adriani exem-

exemplo. Nam, pace Francis restituta, contra probi Imperatoris opinionem, non existimantis necessarios milites, vbi hostes deessent, primùm equestriũ copiarum turmas centenarias, & quinquagenarias instituit: quòd equitatu gloria Francorũ constet. nouerat enim Rex prudentissimus, & alta quadam mente præditus, arma domestica auxiliaribus, & mercenariis omnium iudicio præferenda, viliúsque semper constare suos armis exercere, quàm certis conditionibus, & auctoramentis externos milites cõducere. Numerus porrò cataphractorum Francicorum ad mille, & quingentos fuit: qui in præsidiis vrbium collocarentur. Postea, vt sine externo pedite imperij fines tueretur, quinque millium peditũ cohortes descripsit: habitúsque delectus peditum agrestium, Franci Archieri dicti: quòd liberi ab omni tributo fuerint, dum mi-

litarent, & arcu, sagittáque vterentur. Francus enim, nostra lingua, immunem significat. Eò mortuo pedestris exercitus gloria interiit, & à Ludouico vndecimo Heluetiorum ad quinque millia stipendium accepere (in numero tamẽ variant historici) quod & nostro tempore persoluitur, ea causa, opinor, quòd strenuam operã nauassent Renato Lothoringię Duci, aduersus Carolum Burgundum, ipsíque Sagittarij Franci Talpini nuncupati: quos, me puero, villæ, vicíque, collata in singulos menses stipe, Regis mandato ad bella mittebant: à Græca dictione deducta origine (vt ferè pleraque vocabula Græco fonte fluunt (nam ταπεινὸς depressum, humilémque significat, & ad genus, conditionémque refertur: dicebantúrque apud nos ex Paganis conscripti milites (sic bucolicos milites agrestes appellat Capitolinus) reliquíque pedites, qui eos

eos exercitatione,& disciplina militari ſuperabant, Auenturieri vocati, quaſi ad omnem euentum parati. exinde, vt verba pronos mutantur in annos, ab Italis ſumpto vocabulo ſoldati nuncupati,quaſi ſolidati. Solidatum verò Vegetius, Caſſiodorus, & Frontinus eum appellant, cui ſtipendia ab Imperatore promiſſa erant. Soldoieros olim dictos legi in veteribus edictis Philippi Valeſij & Caroli ſexti, exoleſcentibus penè literis ſcriptis, ac apud Froſſardum, & Monſtreletum ſæpius. Nuper verò Frãciſcus Rex ad morem Romanum multa reuocauit, conſcriptis tota Francia ſeptem legionibus, adeò vt pedeſtris exercitus gloria penè intermortua, hoc Principe reuixerit. Cuique legioni, quæ ſex hominum millibus conſtabat, ſuus Præfectus, vel taxiarchus, datus. Colonellum appellant, à colonia ſumpto vocabulo. Præfecti Chiliarchi ſex. vniuſ-

cuiusque Chiliarchi Legati duo, & signiferi imperio parent: recensendíque exercitus bis anno mos fuit. Quotquot autem iurati ei militiæ nomen dederant, immunitatem consequebantur: qui, si Præclarum aliquid gessissent, annulo aureo donabantur. quòd, si per honorum gradus præclaris rebus gestis ad Legati officiū peruenissent, natalibus restituebantur: &, ne in prælio vrbiúmque expugnatione vulneribus confecti hostiatim victum quærere cogerentur, publico Rex alī iussit, vt olim in Prytaneo Atheniensi. Nam nouerat ipse Rex omnium optime his potissimum habendam gratiam, qui pro patría sanguinem, & vitā profudissent, quósque Iustinianus Imperator in perpetuū per gloriam viuere dixit. Quin etiam quinquaginta peditū millia colligi edicto sanxit: quibus stipendium ab vrbibus muro cinctis persolueretur.

Aliud

Aliud genus est militum, nempe euocatorum, ex nobilibus maximè comparatum: quibus, totius Franciæ instituto, militare tres menses oportet. Banna, & Retrobanna vocant nostrates: cuius verbi nullam aliam etymologiam dari posse puto, quàm quæ à Procopio affertur, libro quarto belli Vandalici, aitque Bannum Romanis signum dici, & Bandophorum Ducis signum ferenté. ab eo quidam Banderias dictas putant. potior mihi AEgidij Claronensis sententia visa est, affirmantis banieras (Itali bandieras vocant) à Germanico verbo Baner deductas: quod vexillũ significat. & notat Cœlius Rhodiginus Gallos Bannum publicum edictum nuncupare. inde apud Ansegisum sæpius legas Bannum soluere, in Bannum mittere, Bannire, & similia. Ad equites quod attinet, laudabile Caroli septimi institutum retinemus, feréque Principibus,

& proceribus sua est peculiaris turma, cui statum,& præscriptum stipendium. Solent verò,constituto tempore, recẽseri in transuectone equites, probatiq; diuersis in stationibus collocari, vt ad primum belli tumultum parati adsint. In illa equitum probatione quemque cataphractam, sago serico ornatum,habere oportet bellatores equos quatuor robóre,& magnitudine præstantes(nisi se militum albo expungi velit) phaleris bubalinis,velè corio recocto confectis, insignes. præterea ephebum armigerum , & subsidiarios duos laterones:quos , idem significante vocabulo, Costilerios appellant. Cuiusque ipsorũ arma sunt lancea peracuta,claua ferrea, gladius. adhæc oblongus mucro, quo stratos & humi procumbentes hostes conficere solet.atque, istiusmodi armis instructum cataphractum, Lanceã fornitam vocant, Hippotoxotæ equi sunt

duo

duo generosi. Archierũ appellant, quasi arcigerum (ab arcu ligneo, & vt plurimum fraxineo, non vt Turcæ corneo: quem olim in equis gestabat) nuncque nomẽ retinet: quãuis aliis armis vtatur. T. Liuius, lib. 5. belli Macedonici, ait equitum innumerabilem vim traiecisse Hellesponto in Europam, partim loricatos (quos cataphractos vocat) partim sagittis ex equo vtentes. & Q. Curtius equitibus, equisque Persarum tegumẽta fuisse ex ferreis laminis serie inter se connexis, quibus hodie vtuntur cataphracti Franci. Armis verò æneis prius vti solitos antiquos, quàm ferreis, ex Hesiodo patet. linteis quoque thoracibus priscos pugnasse Homerus & Plinius testantur. Sunt apud nos leuis armaturæ equites, velites & expediti ab Æliano dicti, à Dione, in Nerone, psylli, in nullo propè numero apud Francos. Huic militiæ nomina dant sæpius

Itali, Græci, & Epirotæ (hos nostri Albanos vocant sine discrimine) quibus pernices sunt equi, & latrociniis, quàm bello aptiores. Extradiotos appellauere ignari: cum stratiotæ dici debeant Græco vocabulo: vestiunturq; tunicis ad talos vsque demissis, vt Turcæ illisq; pro teguméto capitis cyrbasia est, quomodo opera vt plurimum in bello vtuntur Veneti.

Hamiralus.

CVm duo tantùm sint belli genera, vnum terrestre, alterum nauale, non absurdum fuerit, post terrestrium aliquot ducum explanationem, ad maris Præfectum diuertere. oportet enim, vt in Republica bene instituta solet, apud nos esse nonnullos, qui rerum naualiũ, alios qui terrestriũ curá habeant.

pau-

paucos verò reperias, qui cũ terrestri pugnandi gloria nauale decus addiderint. Nam alia est regendorum equorũ, & gubernandæ classis ratio: soliq; Britones, & Normani, reliquique Oceani Gallici, & maris interioris accolæ, pyraticam in maxima laude ponere soliti sunt. mediterranei, terrestre pugnæ genus sequuti, in eo se oblectant: tametsi legatur in Panegyrico, qui Cõstantino Augusto inscribitur, Francos, Germanici Oceani accolas, pyraticam exercuisse. Itaque maris Præfectus, vel, idem significante vocabulo, Thalassiarchus creatus est: cui totius belli maritimi credita esset prouincia: præterea procuratio portuum, triremium, naualium, Græca voce in Francicam detorta. nam ἅλς mare est: vnde Francis Hamiralus: qui totius rei maritimæ disceptationem, omniúmque criminum cognitionem sibi vendicat: nautas, & mercatores liti-

gantes audit: ad ipsiusq; curam pertinet edere, quos suæ iurisdictioni præesse, aut vices suas gerere velit: ipsiúsque est decima prædæ, manubiarúmque. denique in sua verba adigit nauium, triremiúmq; præfectos: fidem publicã dat: & cum hostibus aliquot dierum inducias pacisci potest, vt tutò piscari liceat. cui pro insigni est anchora atq; corniculum, vt quidam existimant. Plures nonnunquam creatos legi. nempe vnum Aquitanico, alterum Britonico, tertium Francico mari præfuisse: vt ferè apud nos, pro Principis arbitrio, legum & rerum omnium, vt numismatum, mutabilis vsus est. Præterea Comites ad custodiam maritimam accersitos notat Beatus Rhenanus. Sic fuere Romæ, stante Republica, Duumuiri classis ornandæ, reficiendæque: & postea, Imperatorum tempore, Præfecti classis Misenatium, & Rauenna-

tium,

tium, ad tutelam superi & inferi maris: &, quo tempore Plinius periit, præerat classi Misenensi: atque apud Imperatores Græcos, inclinata iam gloria & Romanæ linguæ, & imperij, Magnus Dux classi Imperatoriæ præfuit: cui parebat Magnus Drungarius, & Admiratus, & Protocomes, cæteríque classis curatores. Ameralium quoque præfuisse classi Imperatoriæ Volaterranus author est: vnde huiusce nomen possis deducere. Itaque finem facturus eram: nisi in mentem venisset paucis verba facere de pœna, antiquis tamen inusitata, addicendorum remigiis hominum apud nos. ablegare in triremes vocant, ea loquendi formula, qua mittere in latumias. Hi porrò transtris insidentes, scalmisque alligati, in temporariam seruitutem, aliquando in perpetuam, rediguntur: qui non, vt olim, assa voce, vel tibia,

sed

ſed ſibilo,flagriſque, ad officium reuocantur,atque incitantur: cum quo cruciatu nullum conferri poſſe puto. Suetonius tamen in Auguſto ſcribit viginti millia ſeruorum manumiſſorũ ad remum data,vt remos tractare diſcerent, & bello nauali ſe exercerent.Nam mos fuit Romæ, in maxima militum penuria,ſeruos armare, vt poſt cladem Cannenſem contigit. Neróq;, Gallis rebellantibus,in Galliam expeditionem certum dominis ſeruorum numerum indixit, cùm Romanas tribus ad ſacramentum vocaſſet, nullúſque idoneus reſponderet. Itaque hoſce remiges vulgus forſatos appellat, quaſi vi ad remigium coactos, vt contrà Volones Romanis dicti,qui ſe ſponte pro dominis pugnaturos eſſent polliciti.

Equites

Equites ordinis.

PRæclarum illum morem, vt proceres torque aureo insignirentur, à Romanis ad Francos traduxit Ludouicus vndecimus, cum Calendis Augusti, anno millesimo quadringentesimo nono & sexagesimo, Ambasiæ ordinem Diui Michaelis institueret. Initio verò fuit cohors quædam triginta sex regni procerum, inculpatorum equitum, dicta à Diuo Michaele societatis præsidæ, cuius ipse Rex κορυφαῖος est: quibus mos est gestandi quotidie conchulatum torquem ducẽtorum aureorum: quem donare, vẽdere, oppignerare, fas non est. Primi huic numero regia authoritate adscripti sunt Carolus, & Ioãnes, hic Borbonij, ille Aquitaniæ Dux, Ludouicus Luxemburgus Comes Fani Pauli Magister Equitum, Andreas

Daualus Tribunus militũ, Ioannes Sacri Cæſaris Comes, Ludouicus Bellomontanus, Ludouicus Toteuilanus, Ludouicus Daualus, Ludouicus Borbonij nothus maris Præfectus, Antonius Cabaneus Archiœconomus, Ioannes Armigniaci nothus militũ Tribunus, Georgius Trimoleus, Gilbertus Cabaneus, Carolus Cuiſſolus Pictonum Iuridicus, Taneguinus Caſtellanus Præfectus Ruſſinóſenſis: reliqui ſodalium ſuffragiis electi, quorũ nomina non legi. Qui porrò huic ſodalitio nomina dant, in verba Principis adiguntur : quo neminem moueri conſtat, niſi hæreſeos, aut proditionis reum peractum, aut ſignorum deſertorem. Quando verò agebatur de aliquo in demortui locum eligendo, non ſuffragiis, ſed tabulis electio fiebat : quæ obſignatæ in peluim coniiciebantur: quibus à Cancellario numeratis, qui plures tuliſſet, in collegium coo-

cooptabatur, hac verborum formula à Principe prolata: TE ORDO FRATRIS (ita enim viciſſim ſeſe appellant) ET SODALIS LOCO HABET, EAQVE RATIONE TE TORQVE HOC DONAT. FAXIT DEVS EVM DIVTIVS GESTES. deinde, in perpetui amoris teſtimonium, ſingulos exoſculatur. iſque mos fuit in collegium ſodales allegendi. Itaque ſuus eſt huic ordini Cãcellarius, Theſaurarius (vt vocant) Caduceator (cui à Diuo Michaële nomẽ) & Scriba: qui equitũ præclarè geſta literis & memoriæ perpetuæ mandaret. Eo numero legimus exauthoratum Ludouicum Luxemburgum, vnum ex illis maiorum gentium Torquatis equitibus: de quo publicè Lutetiæ in Grauia ſumptũ ſuppliciũ. Moris verò Regibus munus hoc etiã in externos Principes cõferre, in honoris & beneuolẽtiæ

iudi-

iudicium: qui, si eorum hostes velint se profiteri, per internuntios illis torquē remittunt, vt, omni sacramenti religiōne soluti, alteri Principi strenuam operam nauent. quod sæpe hisce nostris tēporibus contigit. Fuit amplissimi ordinis Senatorij insigne latus clauus, & calceus lunatus, vt Equestris annulus aureus: ferreo verò prius vsos Romanos Plinius scribit. quod erat bellicæ virtutis insigne. Huic torquato collegio simile instituit Ioannes Rex: cui qui nomē dedissent, stellam in penula, aut capitio gestabant, & sodales dicebantur nobilis domus Diui Odoeni (ita enim vocabatur castrū, quod plus minus duobus millibus abest ab vrbe, via Dionisiana: cuius nunc tantùm ruinosa murorum vestigia apparent) aliudque ab Æ-douardo tertio Anglorū Rege conditum: quod constabat quadraginta equitibus, vt vetusti quidam annales habēt,

vel,

vel, vt Polidorus Virgil. memoriæ prodidit, ſex & viginti: quos periſcelide inſigniuit: hiq; pro ſodalitio numine Diuum Georgium colunt: cui Vinderoſij, vt Artúri memoriam refricat, templum magnificè conſtructum, maximiſq; donariis auctum dicauit. de hac re plura Polidorus. Fuit Ducibus Burgundis pro inſigni Chryſomalum, à Philippo Burgundionum Duce Diuioni inſtitutum, quod etiam nunc geſtat Carolus Quintus, Imperator, maternum genus à Burgundis ducens. Torque aureo milites donari ſolere ab Imperatoribus, ob rem ſtrenuè geſtam, Aurelij Victoris & Vegetij teſtimonio probatur. eſt quoque Dioni parazonium cinguli genus: quo Traianus Suram donauit: aureíſque fibulis donabantur milites & antè argenteis. Quare veterum militum exēplo, qui propter egregiam Duci ſuo nauatam operam in prælio phaleris,

armillis, torquibus, cingulo, coronis, hastis puris donabantur, reliquisque armis insignibus, qualibus Sicinium Dentatum fuisse donatum ob fortitudinem Plinius & Gellius tradunt, equites honorarij auratis calcaribus, gladio, & solo Principis, vel eius Legati, amplexu donantur: districtóque gladio leniter eorum humeros percutiente Rege, vel eius Legato, quod semper post prælium aliquod cõmissum fieri solet. Nam equestris dignitas, in acie quæsita, nullis omnino aut factis, aut maiorũ imaginibus claros, nobilissimos reddit: qua etiam ornari ipsi Reges non dedignantur: Franciscumque Regem legimus, memorabili illa pugna Melignanensi, à Petro Baiardo equestris honoris ornamenta accepisse. Tertium equitum genus est, quo Itali serió triũphãt: quos à suo diplomate (quod suæ dignitatis fidem facit) Codicillares appella-

re potes: quibus ſimiles à Paulo tertio, Pontifice maximo, & eius Legato Gaſpare Contareno, creari vidi, cùm Bononiæ ſtudiorum cauſa agerem. Denique monendum te duxi equites quoſcunq; Francis, Hiſpanis, Italis, Caualarios dici, quaſi caballarios, à caballo, literis paucis immutatis: cuius vocis ruſticitate plerique moti (nam ferè nunquã ſine deriſione reperias) cùm ſe emendatius loqui putant, vt ait Laurentius Valla, equitẽ ſubſtituũt: licet eques aliã habeat ſignificationem, quẽadmodũ ipſe ſcribit, atq; nouo, & à ſe inuento, vocabulo, equites equerios appellat.

Locumtenentes Regij.

CONſueuerunt Reges Frãci per Legatos bella, maximè externa, & difficillima, gerere (quod Carolũ quintũ fa-

ctitasse, qui Sapientis cognomentum tulit, annales referunt) hocq; munus eis mandant, quos iam longo tempore Ducum optimorum officio functuros intellexerint (neque enim Regum est temerè sese prælio committere) soléntq;, cum quid suo imperio adiecerint, Proreges mittere, qui populum in fide cótineant: quorum tanta est authoritas, vt propè Præsidum & Proconsulũ Romanorum vicé sustineant. Nam in illis locis maius imperium habent, & secundũ post Regem: cui cùm videtur, dimitti solent. Quinetiam sua quoq; illis solet præsto esse cohors Pretoria, vt Romanis Prætoribus, quasíq; eorũ latus cingere. Tãta dignitate cum maxima laude functus apud Taurinos Gulielmus Bellaius Langæus: qui, cùm ad belli gloriam literas addidisset, & legationis munere apud omnes Christianos Principes functus esset, temporis puncto prælucente alum-

alumno virtute Taurinis Legatus Regius exurgit. quod munus dum obit, à Francisco Rege in Torquatorum sodalitium coöptatur. Hic primus apud nos docuit nobilitati non officere bonas literas: quæ priùs apud illum ordinem tanto contemptui fuere, vt Ludouicus vndecimus Carolum filium (fortasse propter valetudinis imbecillitatem) scire Latinè vetuerit, præter vnū illud: QVI NESCIT DISSIMVLARE, NESCIT REGNARE. Ludouici verò consilium malè interpretari nobiles Franci nullum literarum genus non contempserunt. Longè sapientius Maximilianus Imperator (vt exemplo quoque Principum nostræ memoriæ vtamur) qui turpe esse censebat Principem nescire literas, longè turpissimum virtutibus carere, quæ eum æternitati consecrarent. Nec omittendum Gothorum illud fuisse institutū, quoue-

tabant literis Reges ſuos imbui, quòd literas homines imbelles facere dicerent.&,Claudio Imperante, Athenis à Gothis captis, cùm de comburendo maximo librorum aceruo conſiliũ cepiſſent, tum vnus abſtinendum cenſuit: quòd Græcos homines minus eſſe ad bella idoneos diceret, dum ſtudioſius libris incumbunt. Verùm depellenda eſt hominum mentibus eorum opinio, qui literas prædicant molles, & effœminatos facere, & illorũ quoque ipſorum, qui omnem tẽpus perire dixerũt, quod ſtudiis non impenditur, quaſi nũquam ceſſandũ ſit. quorũ neuter rectè, meo iudicio, ſentire viſus eſt. Nam optimus in rebus omnibus modus: eáque moderatione literis inuigilandũ cenſeo, vt ſocietatis, & coniunctionis humanæ, atq; valetudinis rationem habẽdam imprimis putem: quæ ea cauſa remittenda exiſtimo, vt ad ea alacriores

re-

redeamus:contra Musonij opinionem: qui dicebat studia remissa omitti.

Gubernatores Regionum.

NEMINI dubiũ ea ratione diuisam Franciam in Præfecturas, vt occupato tot tantísque negotiis Rege, essent qui in regni limitibus ad ipsius custodiam excubarent. Præfecti enim, apud nos, curam habent arcium, & nequid in ipsis desit ad omnem belli apparatũ: vt vrbes, & castella, muris, fossa, propugnaculis, tormentis bellicis, & in eorũ vsum sulphureo puluere, commeatu omni, prǣsidio denique firmissimo muniantur: suúsque ipsis Legatus, vel Suppræfectus. ἐπισκόπους appellare potes. vndè Cicero, ad Atticum libro septimo, se à Pompeio oræ maritimæ Campaniǣ ἐπίσκοπον destinatum ait. His pro-

pè similes fuere apud Lacedæmonios Harmostæ, extruendis, & reficiendis arcibus, & mœnibus præpositi: rectoréſque hi nostri à quibusdam dicti impropriè, si propius rectorum antiquorum dignitatem cum his contuleris. Nam officium regentis prouinciam latius est. Illis quoque non absimiles erát Præfecti limitum, Romanorum Imperatorum temporibus: vt Præfectus limitis Rhetici, Pannonici, Norici, Scythici. Duces quoque dicti: vt Dux Sequanici, subaudi limitis, vel tractus, siue Prouinciæ Sequanici, siue per Sequanicum appellabatur, qui fines túebatur imperij, & præsidium perpetuum habebat in Rheno contra Alemanos: ipsiq; milites limitanei, & stationarij dicti (nostrates, mortaspagas nuncupant) sicut Duces quoque limitanei vocati: quòd limitibus tuendis præessent: à quibus Marchionibus nostris nomen esse

multi

multi affirmant. quod tamen Andreas Alciatus non probat. Scribit Lampridius in Alexandro Seuero, atque Fronto in opuſculo de limitibus, ſolitos Romanos militibus agros ita diuidere, quos ex hoſtibus cæperant, vt quoſdam eis in præmia aſſignarent, in alios colonias deducere, quoſdam publicanis in longum tempus locarent, vt annuam mercedem illis redderent: hique vectigales dicebantur. Ad hæc quemadmodum Franciam in Præfecturas diuiſam iam diximus, ita Aegyptus in Nomos diuiſa eſt: Iudæa in Toparchias, & Tetrarchias: Thracia in Strategias: Darij regnum in Satrapias (Satrapa verò, vox Perſica, Præfectum ſignificat) Chriſtianiſmus in dioceſes: quas, à diligenti inſpectione, Epiſcopatus nominauere: quæ in parœcias ſubdiuiſa eſt: id eſt accolarum cõuentus, & accolatus, & Curias. Penè omiſeram hoſce Præfectos.

olim consueuisse facinorosos homines legum seueritati & noxæ eximere: fora proComopoleis cōstituere, vbi mercatus celebris celebraretur: natalibus restituere: extraneis ius ciuitatis dare: adhæc multarum causarum cognitionem ad se transferre. Quæ omnia Ludouici. xii. edicto sublata sunt.

Magnus Magister Artilariæ, & Arcubalistariorum.

MEmini, cùm essem Romæ, fuisse Episcopum, qui se probaturum diceret antiquis vsum fuisse æneorum tormentorum: eius tamen conueniendi nunquam mihi potestas fui. Idem nobis literis prodidit Robertus Valturius. quod mihi nec verum, nec vero proximum, videri vnquam potuit: cùm constet nullam mentionem factam bōbardæ, apud probatos authores: id est

illius

illius æneę machinę Iouis tonitrua imitantis: aduersus cuius vim & impetum nihil validum ab homine excogitari adhuc potuit. Catapultis verò, Arietibus, Ballistis, & id genus plurimis, vsi sunt antiqui: quibus saxa ingentia iaciebant, propugnacula, turres, mœnia pulsabant, atque disiciebant (vnde Balistæ talentariæ) aitque Andreas Alciatus se schema vidisse Balistæ quatuor rotis impositæ. Re autem vera Bombarda (nam id nomen ei à sonitu inditum est) seu æneum tormentum dicere malis, Germanicum est inuentum: hoc est in Germania casu repertum à Chymista (Monachum fuisse sunt, qui scribant) cùm nitro, sulphuri, carbonibus varia formitum genera commiscendo, igne adhibito, cognouisset quanta vis eius materiæ esset: vt multa sunt inuenta hoc tempore, antiquis planè incognita. Hoc tormenti genere primùm
vsi

vsi Veneti, authore Ioanne Barbadico, duce non impigro, circa Metamaucensem stationem (ipsi Malamochum vocant) & fessam Clodiam, in bello, quod ancipiti Marte gestum est contra Genuenses, M.CCCLXXX. cuius terribili & insolito reboatu, atque fragore territus Vsuncassanus magnus, Persarum Rex, à Mahomete, Turcarum Imperatore, ad Tebendam profligatus est. deinde Hysmaël Sophus (Psophum alij scribunt) Persarum Rex, ad Cohim Armeniæ vrbem glande plumbea ictus, à Selimo Mahometis nepote fugatus, in Medorum fines, ad reparandas vires, concessit: idemque biennio post, cæso in acie Campsone Gaurio, Sultano Ægyptio, nulla huiuscemodi tormentorũ æneorum copia instructo, & in fugam actis Mamaluchis, Syriam, Damascum, Hierosolymam, atque Iudæam suæ ditioni addidit, vltrò etiam maritimis ciuitati-

uitatibus sese dedentibus, Tripoli, Beryto, Sydone, & Ptolemaide. Postea tã latè serpsit hoc malũ, vt passim his machinis vtamur in vrbium expugnatione, vel cùm terrestri, vel nauali pugna decertandum est (vt ferè semper homines in suam perniciem incumbunt) eísque varia serpentum nomina ad terrorem imposita, Basilici Salamẽdræ, Crocodili, Serpentinæ, Colubrinæ, multáque alia pro arbitrio, nempe Passauolantis, & Falconis. Nomen verò ipsum artilariæ ab arcu & telo deducitur: & nostrates, cõposita dictione, Arcumtilarium vocant arcuum, telorúmque artificem: & arcumbuzatum, Italico vocabulo in Francicum conuerso, machinulas æneas, vel ferres, quæ manibus gestari possunt: quod significat arcum perforatum: nam buzo Italis foramen est. sclopum ipsi quoque nuncupant à sono. Est mortarium aliud tormenti genus:

nus: cuius ore ingenti & patulo pila emissa domorum tecto & omnem contignationem effringit: in viis autem silice stratis, magno impetu decidens, in frustula dissecatur, & obuios quosque interimit. Denique suus apud nos eneis tormentis Præfectus: cuius fidei ipsa in prælio commissa sunt, & quod ipsius chirographo subscriptum est, fidem facit apud Ratiociniorum Præfectos. adhæc vniuersus ministrorum grex immunis, ipseque Præfectus ἀνυπεύθυνος. Romanis non dubium fuisse Præfectũ Fabrorum: cuius his partes sibi vendicat, atque Præfecti castrorum aliquam partem: isque demùm apud nos creari solet, qui multo vsu, & non dubia fide, in vrbium oppugnatione norit machinis huiusmodi locum eligere, easque cespitibus terra oppletis obsepire, vallum, & fossam ducere, ne qua vis ab obsessis ingruat. Quòd si acie decertandũ

est,ea parte locare,qua hosti maximum damnum detur : at, si hostis alia via illos aggredi parat (vt sæpè in bello ex euentu sunt captanda consilia) graues illas machinas dicto citius loco mouere, & subinde versare, huícque præcipua cura esse debet lectissimos Bombardarios habere (id si modò linguæ Latinæ dignitas patietur) vel, si Latinius efferre malis, tormentorum Magistros: quando hisce temporibus in illis machinis situs est belli euentus, adde vehiculorum & omnis generis ferramentorum vim ingentem:equorum, aurigarum,fabrorum lignariorum,ferrariorumque gregem,qui rotas tormẽtis subiiciant : præter magnam illam fossorum caternam, ex aggrestibus cõparatorum, ad complanandam itinerũ asperitatem, Guastatores vocant. vulgus Francicum corruptè Castados:quasi dicere vellet Guastados. Nam Itali

guaſtum, quod Latini vaſtum & ruinã, appellant: vt Marchionem Guaſti, pro Marchionem vaſti Ammonis: & guaſtũ Bentiuolorum Bononiæ, ruinam domus Bentiuolorum: & facere guaſtum pro vaſtare, & populari: veluti ſi quis dicat Iullium illum, tertium, Pontificem Romanum, immiſſo in agrum Parmenſem & Mirandulenſem milite, facta maxima præda, agros vaſtaſſe, incendiis, & cæde omnia miſcendo. Sed ad rem redeo. Cogendus illi pilarum ferrearum, lapidearumque aceruus, excoquendus puluis nitroſus: prætęrea fun-ditorum numerum maximum habeat oportet: qui nouas atque quaſſatas machinas fundant. Ante verò huiuſcemodi tormentorum inuentionem in præliis vſi ſunt noſtri ſagittis, deinde arcubaliſtis: vnde arcubaliſtariorum Præfecti ſæpius mentionem factam in Chronicis & conſtitutionibus Regiis leges.

Ma-

Magnum Magiſtrum Arcubaliſtariorũ vocabant: cuius loco æneorum tormentorum Magiſter inſtitutus eſt (nam ſenſim arcubaliſtis vti deſitum: quarum peritia omnium conſenſu reliquas gentes facilè ſuperabant Aquitani) ipſiuſque eadem prope poteſtas erat in milites, quæ Magiſtri Equitum, & Polemarchorum, vt ex conſtitutione Caroli, puto, ſexti colligitur: quæ promulgata eſt, M. CCCCXII. cuius mihi copiam fecit Ioannes Ferronus. Eſt in annalibus Anglicis, regnante apud Francos Carolo ſeptimo, & apud Anglos Henrico ſexto, Sarisberienſem primum Cenomanæ vrbis oppidanos, huiuſcemodi tormentorum vi quaſſatis magna ex parte muris, ad deditionem coëgiſſe: quorum vſus antè Francis incognitus erat.

II.

Heraldi.

PArum mihi viſum eſt de tot belli Ducibus dixiſſe, per quos bella geri conſueuerunt, niſi ſtrictim de Caduceatoribus verba facerem: per quos vt bella indici, ita & finiri ſolent (vnde Caduceatorum nomen deductum) quibuſque mos geſtandi ſpinter, vel armillam, in prælijs verò paludamentum, quod eos tutos reddit ab omni iniuria. Nam eos vel verbo violare nefas eſt. vndè Cato dicebat Caduceatori neminem hominem nocere: & Euſtathius cerycas ἀσύλοις vocat. Francici autem nomen à prouinciolis ſortiuntur (veluti Normania, Aquitania, Picardia, Aurelia. Britannia) quos in verba Principis adigi, immunes eſſe, monomachiis & decurſionibus intereſſe oportet. denique, ſi de pace ineunda agitur, ſi induciæ petuntur, ſi bellum indicitur, peta-

petaſati Caduceatores mittuntur, per quos maxima quæque negocia geri cõſueuerunt: ſin de leuioribus rebus agatur, per tympaniſtas, & tubicines id expeditur. Itaque Romæ quàm ſanctum fuerit Fœcialium, & Patris Patrati nomen, neminem vel abecedarium latere puto.

Familia Regis.

QVum multæ res, ornatiſſime Præſul, in hoc regno, & noſtratibus, & extraneis, cognitu non iniucundæ ſint, tum multò gratiſſimus hic tractatus de familia Principis omnibus erit, eáq; ratione continuata quadam rerum ſerie ſuperioribus annectendus. Quod cùm ita eſſe facilè intelligerem, partim amicorum fideliſſimis & amantiſſimis conſiliis compulſus, partim etiam mea ſponte incitatus, nihil antiquius habui,

quàm vt breuiter primarios aulæ ministros perstringerem, atque attingerem. nam minutula quæque persequi abutentis otio, & literis, semper existimaui.

Magnus Chambellanus, & Nobiles Cameræ.

CHambellani etymologiam si spectes, Admissionali, vel Cubiculario summo, probè conuenit. Is enim cubiculi Regij præcipuam curam & custodiam habet: cuius munus est Regi præstò esse, ac sanctiori illi cubiculo præesse, necnon consiliis publicis cum duodecim Franciæ Proceribus interesse, vt aresto iudicatum legimus. Nam solēt à cretariis designatoribus duo cubicula Regi destinari: vnum vbi cubat: alterum penetralius vestiario attribuitur: à quo, veluti ex tripode, oracula petun-

tuntur: cuius hic ſummus Cubicularius Decurio eſt. Sic fuit Imperatoribus Romanis Præpoſitus cubiculi, teſte Suetonio: quem ipſe, in Domitiano, appellat Decurionem cubiculariorum: Iuſtinianus Præfectum ſacri cubiculi. & Imperatoribus Græcis Paracœmomenus cubilis cubiculariorum erat princeps. At cubiculariorum apud nos non vnũ genus: honeſtius tamen, quod proceribus conſtat, Nobiles cameræ hodie, olim Chambellani dicti: quibus calciandi, & amiciẽdi Principis cura eſt: & rectæ ius in aula Regia. menſam Chambellanorum etiam nunc vulgus appellat. ex eorum numero ſe fuiſſe ſcribit Philippus Cominius Argentonus. Reliquorũ non poſtremus gradus eſt dignitatis. famulos Cameræ vocant (tanti ſemper æſtimatũ fuit Regi in cubiculo miniſtrare) quorum propè infinitus numerus. nam quidam tantum nomenclaturã habent.

Magnus Magister.

AVlæ Regiæ Præfecti munus est cum Principe quotannis instrumentum ministerij Aulici describere (statum appellant) cuius præcipua est authoritas in ministros Aulicos,&ipsos etiam Oeconomos:vnde Archiœconomi nomen illi est. nostri Magnum Magistrum appellant:quibus mos est eum, qui rebus,quibus præest,maiorem diligentiam adhibet,Magistrum vocare,vsitata Iurisperitorum loquendi formula:sicque Romæ Magistri Curiarum dicti, Magistri vectigalium, & Magister Populi Dictator. Tametsi autem hunc Oeconomis præesse dixerim, Rex tamen, pro arbitrio, eum exercitui, vel summæ rerum, præficit: vt ipsius nutu, veluti Iouis,omnia circũuoluũtur.sicq;, authore Solone, Regum amici calculis suppu-

ſupputatoriis ſunt perſimiles: qui, pro arbitrio ſupputantis, interdum maiorē numerum, interdũ minorem efficiunt.

Magnus Scutarius.

ARchippocomus, ſeu malis Hipparchus, primariæ eſt authoritatis apud Regem: cuius ſunt partes Regi equum aſcenſuro, vel ex eo decenſuro, auxiliatricem manum præbere, eique enſem & baltheum liliatos præferre, vt olim ſcutum (quod nominis nomenclatura oſtendit) idque in magnifico apparatu fieri ſolitum eſt: Imperatorúmque Græcorum temporibus Scutarius Auguſtum præcedebat, ſcutum geſtans: vndè Scutarij noſtri nomen fortè deducitur. nam ſine dubio multa ex aula Græca in Franciam ſunt tranſlata. Atq; edicto Regio ad eũ cura

pertinet collocandorum, per ſtathmos & manſiones,curſorum Veredariorum, Ludouici vndecimi inſtituto (quorum primum inuentorem Cyrum dicunt. poſtas appellant, quaſi in certis locis poſitos equos)ſolétque id munus ei mãdare,quem vocant Contrarotulatorem poſtarum.necnõ caduceatoribus (quos in verba legitima Principis adigere ſolet) curſoribus,& Hippocomis, vóce etiam à Iuſtiniano vſurpata,præeſt(vnde Magni nomen habet) qui veluti fiduciariam ab eo curam habent Regij equitij, ſiue hippotrophij (haraſum vocant) cùm tamen eius fidei imprimis & equi, & arma commiſſa ſint. ſuper armamentarium poſitum vocat Curtius: Hippocomos verò Spartianus Stratores,Græci ἀναβολεῖς. Multi autumant (idque non ſine ratione, vt ſuprà à nobis dictum eſt) nouiſſimũ hoc Hipparchicæ, & panoplicæ dignitatis munus

nus translatum fuisse ab Equitum Magistro ad Archippocomum.

Magnus Venator, & Falconarius.

NIhil certè existimo, quod æquè Principem deceat, atque venatio: quòd ea corpus patientissimum reddat laboris, inediæ, frigoris, caloris: otium fuget, solam animorum pestem. Hinc Poëtæ non iniuria fabulantur Dianam à Ioue perpetuæ virginitatis præmium impetrasse. Quanto verò sit in precio apud Francos Reges, facilè iudicabit, qui intellexerit Carolum, octauum, accipitrem emisse quingentis scutatis. Venandi porrò studiosi fuere, & Cyrus, & Romani Imperatores, maximeque Adrianus ad reprehensionem, & insaniam vsque: cùm tamen nihil prætermitterent, quod ad principatum per-

tineret. Itaque venaticus apparatus in duas turmas diuiditur. vna eſt venatorum pendula tuba cornea, vel ænea, ex humeris inſignium: quibus mos eſt ſemper veſtigatorem canem ſecum habere (Limierum vocant. nos therelenchum dicere poſſumus) atque hæc in duas turmas diuiditur, Leucopheorum vel cineritiorum, & alborum canum. nam ab his nomen habent. Altera eſt accipitrariorum (Falconarios appellant) ſcapo pinnarum inſignium. His, atque illis, ſtipendium à Rege præſtatur, & cuique turmæ aliquis præficitur ex intimis aulæ Regiæ miniſtris: quemadmodum apud Imperatores Græcos Protoieracarius præerat venatoribus nutrientibus accipitres, & ferentibus, vt Protocynegus canibus.

Magi-

Magiſtri Hoſpitij.

ARchitriclini, ſiue Oeconomi, ſunt promicundi penus Regiæ: & rei familiari diſpenſandæ præſunt: maximǽque authoritatis inter aulicos: quòd ſoli Acarnanij, & Apitij, rei tamen œconomicæ periti, ad tantũ munus euehuntur. quibus, vt eminere præter cęteros, & ſuſpici poſſint, pro inſigni ſcirpus Indicus eſt argentatus: illiſq; expenſa omnis Regia cõſtare debet, & ab his nõ, niſi venia prius impetrata, neminẽ licet per Francorũ leges in ius vocare in Palatio. Olim verò illis ius erat annonæ, quæ in comitatum Regium importabatur, per præconem ſtatuendi prætium: eóſq; pœnis grauioribus mulctandi, qui ſocietatem coiiſſent, vt annona charior eſſet: meretricéſq; aulicas, pro delicti

modo

modo, corrigendi, fustibus cædendi, extremo supplicio afficiendi, absque appellatione. Necnon, Philippi Pulchri constitutione, ad eos actionum personaliũ iurisdictio pertinebat, quæ à ministris Regiis intendebantur: omniúmque criminum cognitionem sibi vendicabant, quæ in comitatu Regio admittebantur.

Magnus Panetarius, & Nobiles seruientes: scilicet Panetarij, Scutarij mensari, Escansoni.

PAnariis, seu artothecis, perinde atque nos vsi antiqui: vnde discophoris, vel dapiferis (Panetarios vocant) nomẽ inditum possis colligere (quamuis aliæ sint eorum partes) nam Regi accumbenti cibum ministrant. Fuitque Magni Panetarij (sic enim eum vocant qui

qui his præest) inter aulicos tanta dignitas, vt inter Regiæ Oeconomos numeraretur: cuius summam esse potestatem in pistores non desunt, qui scribant, atque panis, & tritici promercalis mensuram, precium, pondus, inspiciendi. Itaque Herodianus, author grauissimus, scribit Principes olim solitos vti medicamento, quo venenum arceretur: non ignaros, opinor, suam vitam dolis, insidiisque peti solere. Nam, vt ait Xenophon, nusquam homines faciliores captu sunt, quàm in potu, cibo, balneis, lecto, & somno. quam ob rem Mithridatem ferunt veneni metu, antidoto, quod mithridatica dicitur, præmuniri solitum: & apud Abyssinos cornu Monocerotis Regiis mensis imponitur: quo explorant ministri si quod toxicum epulis inditum sit. Qua ratione factum est, vt Principes fidissimos ministros ab epulis habuerint: qui ci-
bum

bum menſæ adpoſitum,& in fruſta diſſectum prægustarent, & explorarent, ne venenum miſceretur. Suetonius in Claudio, Et veneno occiſum conuenit. vbi autem,& per quem,dato diſcrepat. quidam tradunt epulanti in arce cum ſacerdotibus per Halotum ſpadonem prægustatorem: alij domeſtico conuiuio per ipſam Agrippinam, quæ boletum medicatum auidiſſimo ciborum talium obtulerat: & author eſt Tacitus Halotum ſolitum inferre epulas,& guſtu explorare. His proximis ſunt Pincernæ,vel à cyathis, qui Regi potũ miniſtrant: eóſque Lampridius numerat inter miniſteria aulica.Cyathiſare Plautus vocat. quod munus fuit nobilium puerorum in conuiuiis publicis, vt Ganymedis in conuiuiis Deorum: vnde Deorum οἰνοχόος dictus eſt:pocillator ab Apuleio. Eorum verò partes ita à Xenophonte deſcribũtur in Cyri Pædiæ

diæ libro 1. *οἱ δὲ τῶν βασιλέων τοῦ τῶν οἰνοχόοι κομψῶς τε οἰνοχοοῦσι, καὶ καθαρείως ἐγχέουσι καὶ διδόασι τοῖς τρισὶ δακτύλοις ὀχοῦντες τὴν φιάλην, καὶ προσφέρουσιν, ὡς ἂν ἐνδοῖεν τὸ ἔκπωμα εὐληπτότατα τῷ μέλλοντι πίνειν.* Ibidem, *οἱ γὰρ τῶν βασιλέων οἰνοχόοι ἐπειδὰν ἐνδιδῶσι τὴν φιάλην ἀρύσαντες ἀπ' αὐτῷ τῷ κυάθῳ εἰς τὴν ἀριστερὰν χεῖρα ἐγχεάμενοι, καταρρόφωσίν τοῦ δή, εἰ φάρμακα ἐγχέοιεν, μὴ λυσιτελεῖν αὐτοῖς.* eáq; ratione Pincernas adhibitos constat. Cæterũ mos est Regiis Pincernis, dũ potũ Regi ministrant, scypho aureo, vel argenteo haustũ vinũ in aliũ infundere, & pręgustare. Fuere his similes serui antiquitus ab Herodiano dicto *οἱ πρὸς ταῖς κύλιξι*, & ad cyathos, vt ad limina, & ad pedes. Suetonius in Iulio, Sed C. Memmiũ etiam ad cyathum, & vinum Nicomedi stetisse obiecit. Ausonius, Stat Iouis ad cyathum. Itaq; libuit addere Gulielmo Budæo pincernã Latinum verbum non videri, licet eo sit vsus Asconius. hoc docti viderint.

Secretarij.

A Secretis esse Principi dicuntur, qui diplomatibus, & edictis Regiis, quæ in interiori illo consilio decerni solent, subscribendi curam habent: quibus hodie regni arcana committuntur, vndè nomen illis est. ad manum à Cicerone his verbis. Licinium seruum sibi Gracchus habuit ad manum: ab epistolis Suetonio, Lampridio, Spartiano, vel à manu, vel, vnica dictione, Amanuenses dicti, nouo vocabulo, vt vult Cœlius Calcagninus. Græci ὑπογραμματέας vocant: Latini Scribas, aut Librarios: Iustinianus primicerios, & secundicerios, vt tum tempora ferebant, inclinante iam Romanę linguæ dignitate. Fuit porrò collegium hoc Secretariorum primò sexagenariũ: at numerus ampliatus ad centũ viginti:

quo-

quorum alij Principi sunt à secretioribus notis (Secretarios commendementorum appellent) & Flauius Vopiscus notarios secretorum, in Aureliano, habuisséque Imperatores Romanos notarios, qui edictis subscriberent, ipse in Carino ostendit. Alij minimè cum his dignitate conferendi: qui scribarum vice funguntur, in rescriptis subscribendo, quæ à Principe impetrantur, non modò in aulico comitatu, sed etiam Lutetiæ, apud illam æquitatis officinam. Cancellariam vocant: quod munus est, post Cancellarium, libellorum Magistrorum. atque, vt apud nos, ita apud Græcos Macedonum Reges omnium consiliorum erant participes: vnde Eumenis Cardiani, Scribæ Philippi, &, post, Alexandri Magni, dictum extat, se vitam potius, quàm fidem positurum.

Rex Ribaldorum, & Præuo-ſtus Hoſpitij.

CVm aliquando Ioannem Feronũ, virum mihi amiciſſimũ, inuiſiſſem multíſque verbis vltro citróque habitis, incidiſſemus ambo in rerum Francicarum mentionem, ac copioſè, & ſubtiliter, de his diſſerentem eum, & acrius in noſtrates inuehentem (nam eos pecudibus comparabat: quę ad pręſens tantum mouentur, ſecurè rerum omnium) attentè audiuiſſem, tum ille, cùm ſe nihil habere diceret, quòd & ſuis, ex quorum numero me eſſe palam prædicabat, & patriæ non impertiret, librum, vetuſtate penè conſumptum, protulit: in quo edictum quoddam venerandæ antiquitatis reperi, quod omnes Regis Ribaldorum partes continebat: cuius ſelectiora, & ad rem maximè per-

pertinentia capita, huic loco duxi adſcribenda, vt in quo inter eum & Iudicem Prætorianũ conueniat omnes luce clarius cognoſcant. Fuit itaque ille, quẽ nomine Regio decorabant antiqui Regem Ribaldorum appellantes, cuſtos ad limina Regiæ: ad cuius curam pertinebat tæda accenſa, poſtquam Rex cubitum diſceſſerat, palatij omnia loca luſtrare, ne quis lateret. Atque Imperatorum Romanorum tẽpore couſuetudinem fuiſſe ſcimus ſalutantes ſcrutandi, ne ſub veſte ferrũ deliteſceret. Deinde œconomicorum apparitorum decurio fuit. At, ne magnitudine, negotiorum, tanquam fluctu obrueretur, additi ſunt viatores duo, & Pręfectus vnus (Preuoſtum vocabant: vndè Iudici Prętoriano fortè nomem eſt) çuius fidei cuſtodiæ credi ſolebant. Ad hæc probatas ab Architriclinis menſuras, & à ſe liliato ſigno notatas, inſpiciebat: quas

qui corruperat, pœna erat ſexaginta aſſium. Necnon diſpungendis rationibus expenſæ Regiæ cũ Oeconomis intereſſe, & meretricibus aulicis hoſpitia aſſignare ſolebat. Cæterum quánam ratione, & tempore, tranſlata ſit omnis poteſtas ab Oeconomis Regiis, & Ribaldorum Rege, in Iudicem Prætorianum nõ reperi: tametſi hunc magiſtratum gerentes de ea re ſim percontatus diligentiſſimè. Itaque ab hoc iudice, perpetuo aulæ aſſecla, in ciuili controuerſia olim ad Curias ſupremas, nunc autem ad conſilium aulicum (Magnum noſtri vocant) prouocatio eſt, in capitali verò minimè. habet quoque Legatos duos, & apparitorum ſtipatorúmque magnam cateruam: quibus ſagum, perinde ac ſpiculatoribus Regiis, contextum eſt bractcis argenteis. Præterea ad ipſius curam nunc pertinet, vt in aulico comitatu panis, vinum, caro,
iuſto

iusto prætio veneant. Derealus cum maxima gloria hoc magistratu se abdicauit:quē Franciscus Rex duobus mandauit, qui per vices semestrem operam ipsi nauarent cuique Legati duo,&milites quinque & viginti, attributi.

Centum Nobiles.

NIhil planè sibi reliqui fecerunt Reges Franci, vt se, sumptis insignibus Regiis, augustiores facerent. additi enim sunt è nobilitate Francia, honoratioris comitatus&custodię causa,centum macherophori anteambulones,qui Regi adessent,hísque suus Pręfectus datus. Primò itaque centum à Regibus instituti, vndè adhuc nomen seruant. verùm postea centenariæ illi turmæ centum alij adscripti, addito quoque Præfecto. tamen, propter nu-

meri integritatem, appellandíque cõpendium, centum etiam hodie dicuntur: qui pro insigni hastam gerunt, quã beccum Falconis vocitãt nostrates, antiqua Gallica etiam voce: quæ rostrum significat. Sic itaque Romæ, cùm triginta quinque tribus essent,& terna ex singulis tribubus eligerentur ad iudicandum hasta proposita, licet quinque amplius quàm centum essent, tamen quo facilius nominarentur, Centumuiri dicti sunt:& quanuis etiam Decemuiris sacrorum alij sint additi,ita vt ad sexaginta excreuisse dicantur, semper tamen quindecimuiri nominati sunt. simile quoque illud de septuaginta interpretibus, cùm duo, & septuaginta essent. Atque Romæ anteambulones dicti, qui Principes ciuitatis officij gratia in forum deducebant,& reducebant togati, vel per diminutionem togatuli: & ita Suetonius Vespasianum fratri-

fratris arteambulonem vocat.

Capitaneus Portæ.

EXtat Dionis Nicæi, viri Cõsularis, Romana historia, accuratè diligẽtérq; conscripta, & à Ioanne Xiphilino in epitomen redacta: in qua Augustum cum Liuia coniuge loquentem facis, quánam ratione fiat, vt Regibus tot, támq; varia pericula immineãt: eorum ceruicibus tela, & gladij impendeant: nõ solũ hostes, sed custodes timeãtur: amici & necessarij formidẽtur: ipsiúsq; Liuiæ dictũ non putaui indignũ, aut alienum, vt adnotarem: PRINCIPEM, QVANTVMVIS RECTE IMPERANTEM, NON POSSE OMNIBVS PLACERE. vndè nõ iniuria Tiberius, ipsius Augusti successor, imperiũ miseram & onerosam seruitutem vocabat. Quam

ob rem Reges Franci aduersus hominum vim,& iniuriam, præter iam à me dictam custodiam,domi armatis hominibus, hísque fidissimis, se munierunt. Thyrophylacas appellant: quod ad palatij portam perpetuò stationem agant: quibus, vt à doryphoris dignoscantur, saga sunt clauibus prætexta, eadémque arma gestant: & his suus Præfectus est. Capitaneum portæ vocant (quòd hisce ad limina custodibus præest) quem tu Archythyrolacẽ appellare potes. Legitur, regnante D. Ludouico, tribunal fuisse ad portam Regiæ (Iustitiam portæ appellabant) sed quódnam illud fuerit non legi, nonnulli recuperatores palatinos fuisse affirmant. At G. Budæus, in chartophylacio Francico diligenter & multum versatus, asserit ante tempora Philippi Pulchri. qui D. Ludouici nepos fuit, tres literatos viros ad vestibulũ Regiæ iura reddere solitos:

quos

quos libellorum Magistros fuisse propterea existimat, quòd in antiquo cõmentario inter libellorum Præfectos eorum sit mentio.

Guardia.

NOn abs re mihi visum est statim post centenariam illam nobilium turmam, præmisso tamen Archithyrophilace, quem Capitaneum portæ vocant, paucis de Regia cohorte Prætoria differere. Itaq; cùm Franci Reges, more institutóque cæterorum Regum, imperium, virtute bellica longè latéque propagatum, legibus abs se conditis firmassent, &, quàm maximè poterant, ad antiquorum Ducum, Regum, Imperatorum, gloriam peruenire contenderent, nullúmque iam regnum Christianum non multò Francico inferius virtute, gloria, nobilitate, opibus vide-

retur, cæterorum Regum exemplo armata manu ſeſe ſtiparũt: quã ſuæ cuſtodiæ, & propulſandis aliundè periculis, adhibuerunt; vt Prætores, deinde Imperatores Romanos Prætoriã cohortẽ habuiſſe cõſtat. Itaq; Reges Franci ſtipatores equites quadringentos elegerunt: quos Archieros guardiæ appellãt: quòd arcu vterentur, cùm ſunt inſtituti (vt à me iam alio loco dictum eſt) nunc vt plurimum eo teli genere, quod Halabarda dicitur. αἰχμοφόρους Græci vocãt. Eſt verò Halabarda ſecuris cuſpide oblongiore, ab vna parte quadrata acie, ab altera peracuto mucrone, punctim, cæſimque feriendis hoſtibus maximè accommoda. Horum numero ſunt cẽtum Scoti: quorum egregia fides & virtute vtuntur Reges, cuique verò centuræ ſuus Præfectus. Sunt præter hos quatuor & viginti σωματοφύλακες, id eſt cuſtodiæ corporis adhibiti (ſicq; vulgò dicun-

dicuntur) qui à Rege larũ pedẽ non discedunt, φυλακὴν vel θεραπευτὴρας περὶ τὸ σῶμα Xenophon appellat: quæ fuit Cyro Eunuchorũ. Ad hæc, ne quid omnino deesset, quod ad Regiam maiestaté & ornandã & conseruandam spectaret, addita est cohors centũ Heluetiorum peditum (trecentos aliquãdo fuisse legi) qui ab equitibus, femoralibus dissectis versicoloribus, distinguuntur. equitibus verò sagum est bracteis argẽtéis intextũ, cum Principis elogio: quale fuit Caroli sexti Ceruus alatus, Ludouici duodecimi Histrix, & Francisci Salamandra. Ipse ab huiusce cohortis Helueticæ Præfectis intellexi Carolũ octauũ Heluetios, vt fidissimos, primũ ad corporis custodiã adsciuisse, ob eximiã & spectatam virtutem, in pugna ad Tarrum fluuium cõmissa: quo eos, perpetuo & maiore aliquo beneficij testimonio, sibi deuinciret.

Mare-

Mareschali hospitiorum, & forieri.

EPistathmi præsunt hospitiis dispertiendis Principis comitatui: tantáque prudẽtia suũ munus obeunt (quod epistathmia dicitur) vt nulli omnino desit, quò diuertat. Quia tamen huic muneri obeundo pares esse non possunt, tot Ducibus, Pontificibus, Regúmque Legatis Principem comitantibus, additi sunt aliquot designatores mansionarij (sic appellati à mansione, quæ hospitium significat) vel, si mauis, cretarij, à creta dicti: qua hostiis illius nomẽ adscribunt, qui domo excipitur. Fuisse verò antiquis hospitiis designãdis Præfectos ex Antigoni apophthegmate liquet apud Plutarchũ, quos ἐπὶ τῶν ξενίων vocat.



AD LECTOREM.



X Superiori libello satis opinor vnicuique perspectũ esse quos belli duces Reges Franci habeant, quos rei nauali, arcibu. reficiendis, suæ custodiæ, præficere soleant: ne omnia commemorem, de quibus iam à me dictum est. Hoc verò ipso explicandum mihi putaui quibus consultoribus vtantur. Nam armis vim propulsare, hostes procul à Regni finibus arcere, socios iuuare, imperium proferre solemus: at consilio & literis leges condere, ius vnicuique reddere: vnde iustitiæ nomen est: in qua sola omnes virtutes contineri Theognis Poeta scribit. Quam ob rem Reges nostri in id incubuerunt vt, doctrina, virtutéque præstantes homines, maximis dignitatibus & fortunis augerent. Quod me impulit vt hunc togatorum magistratuum tractatum ob alio seiungerem, tibique dicatũ vellem. Vale.

VIN-

COMMENTARIORVM VINCENTII LVPANI DE Magiſtratibus & præfecturis Francorum Liber II.

Tres ſtatus.



Oſtrates, de magnis, grauibus, & ad Rempublicã pertinẽtibus rebus conſultaturi, celeberrimum trium ordinum conuentum olim habebant: nobilitatis, ſacerdotij, plebis, vt etiam tenuiorum habita ratio videatur. Fuit verò tempus, quo omnia apud nos ad Panceltium illud referrẽtur, quæ ad regnum conſtituendum pertinerent, ſi de pace ineunda, bello inferendo, regni procuratione alicui mandanda, vectigali exigendo, ageretur. quod, Philippo Valeſio regnan-

te, communi trium ordinum consensu sancitum est: quorum tanta fuit authoritas vt, Rege Ioanne, multi supremæ Curiæ Parisiensis Consiliarij, & rationum Præfecti, magistratu sint moti: atque Carolus sextus, lege à se sancita & composita, iusserit vt, si vita prius discederet quàm Aquitaniæ Duci, filiorum eius natu maximo, Francorum legibus Regni administratio permitteretur, eius procuratio (nomine tamen Regio) ad hunc conuentum pertineret: qui olim Regiæ maiestati quasi frænum impositum erat (ne popularium res pro arbitrio ageret, ferrétque) vt Ephori Laconum Regibus. Huius porrò concilij indicendi ratio talis habebatur. Scribebat Rex ad Nobiles, Antistites, oppidanos, cõmuni cõsensu aliquos deligerẽt, qui certo loco & die cõuenirẽt de rebus disceptaturi. quod Carolũ 8. fecisse legimus: cũ ille veteri maiorum

iorum instituto, Turonibus totius Frãciæ conuocato concilio, de summa rerum & bello Neapolitano deliberauit. Huiuscemodi conuentuum peragendorum Regio diplomate frequens est adhuc vsus Burgundis, atque Heluetiis. diætam Germani vocant. Simile huic conuentui Panionium fuit, à duodecim Ioniæ vrbibus dictum, & Panætolium: cuius mentionem facit Titus Liuius, libro primo belli Macedonici. Fuit quoque Græcis Amphictionum consessus sanctissimus, ex septem ciuitatibus cõstitutus: quarum singulæ bis in anno, veris & autumni initio, Legatos ad id concilium mittebant: quos pylagoras vocabant, & locum, vbi conuentus haberetur, pylea. Fuere & Ephesiis quinque conuentus (qui per partes Rempublicam gubernabant) & Caribus vnus, ad Iouis Chrysaorei templum: qui accolis dictus est Chrysaoreus.

Stri-

Strictum, ſiue priuatum conſilium.

Est ab Aulio conſilio, de quo poſtea dicturi ſumus, aliud apud nos planè diuerſum. Strictum appellant, ſiue priuatum: quaſi ſecretius, interius, ſelectius ſanctius dixeris: tametſi idem olim mea quidem ſententia fuerit: ſæpiúſque in chronicis, & conſtitutionibus Regiis, atque apud Froſardum, etiam poſt Curiam Pariſienſem inſtitutam, magni conſilij, pro hoc ſanctiore, mentionem factam diligens lector animaduertet. quod ſingulis menſibus cogi ſolebat: vbi Princeps de omni re ſtatuebat: reſcripta, & diplomata concedebat poſtulantibus. Conſtat verò ſelectius hoc agnatis, neceſſariiſque Principis, proceribus, Antiſtibus, Cardinalibus, cum Cancellario, atque Iuriſperitis: in eóque tractari conſue-

uit quicquid ad publicum regni ſtatum pertinet, atque, vno verbo, de ſumma rerum. Solet verò interdum Rex, ſuo diplomate, multarum magnarúmque cauſarum cognitionem huic conſilio arrogare (euocare noſtrates dicunt) de cuius ſententia, regio nomine tamen, poſt mortem Ludouici vndecimi, omnia regi ſolita: conſtabátque regni duodecim proceribus. Tale fuit Ætolorum concilium, quod viris ſelectis conſtabat (Apolectos Titus Liuius vocat) móſque fuit Sontianis Gallis, vt eorum Rex ſexcentos haberet ſelectos (lingua Celtica Silodunos appellabant) qui cum eo publica negocia tractarent. Habuere quoque Athenienſes ſanctiorem Senatum: ſine cuius conſilio quicquam decerni, Solonis lege, erat prohibitum.

Can-

Cancellarius.

MAgna apud antiquos contentio fuit; vtrum vrbanis rebus militares ſint anteponendæ: paludatis verò neceſſarium, mea quidem ſententia, togatos coniungere: quòd illorum vires horum conſilio, & prudentia regantur, & maximè Cancellarij: cuius ea eſt apud Regem authoritas, vt eum ſoleat, in rebus omnibus ad Rempublicam pertinentibus, veluti Apollinem conſulere: vnumque illud apud nos virtutis eſt præmium, vt apud Lacedæmonios γερουσία, & Athenienſes Themoſthetæ. Huius noſtri ſunt partes dare operam diligenter, ne quod reſcriptum, edictum, decretum, contra ius aut Rempublicam impetretur. quod ſi præſenſerit, tranſuerſa linea circũducere, vel conſcindere. cancellare vocãt:

vnde illi Cancellarij nomen est:tametsi Latinum non sit, quemadmodum nec cancellandi: licet huius nominis frequens sit vsus Iurisperitis, ipsiq; Vlpiano, Paulo, & Sceuolæ, vt Cācellarij Flauio Vopisco, & Iustiniano. Paulus Æmilius Iuris præfectum appellat: aliquādo Iurisconsultum (quo nomine Procopius Tribunianum vocat) meminique apud Ansegisum Cancellarij nomen pro scriba vsurpari. Apud Venetos Cācellarius secretioribus notis apud Senatum præest: sed non tantæ authoritatis. hic enim vnicus est (vt ita dicam) βασιλέως ὀφθαλμὸς, καὶ οὖς, atq; morum legumq; regimen, & Principis in re iudiciaria, & iis, quæ ad regnum constituēdum pertinent, Legatus, aulicíq; consilij facilè primus: cui mos est signum illud sanctius apud se habere, quo diplomata cera signat. in qua Principis imago imprimitur. Antiquissimū fuisse hūc

magi-

magiſtratum ex eo apparet,quòd etiam Caroli Magni temporibus,ac neſcio an & antè, atque Ludouici, cognomento Craſſi, Cancellarius Regiis diplomatibus ſubſcripſerit,vt Principis Archigrãmateus. Præterea Archicancellarium fuiſſe apud Burgundionũ Regulos Paulus Æmilius memoriæ prodidit. Solet verò in Cãcellariatus interregno(quod ſæpius noſtra tempeſtate Gulielmo Poieto ex vinculis cauſam dicente contigit) à Rege Procancellarius creari: qui Cancellarij munia obeat. Cuſtodem ſigillorum appellant: quòd illi Rex ſigilli,quo publica monumenta ſignat, atq; omnium rerum ſummam credat. Denique ad tantum honorem gradatim aſcenditur. vidimus enim aliquot, qui, cum ſumma cum laude in aduocatorum ſubſelliis verſati eſſent,ad fiſci cognitionẽ peruenire (qui primus eſt honorũ gradus) deinde vel libellis pręfici,

vel in primo concessu Curiæ Parisiensis Præsides creari, postremò ad summá togatorum magistratuum dignationem conscendere. Nam nemo vnquam rerũ summam attigit, qui non à prima ætate gradibus virtutis ascederit. Fuere porrò Nomophylaces Græcis (qui legibus præerant, & illis parentes laudibus honoribusque prosequerentur, at minimè obsequentes pœna mulctarent) & Iustinus author est Trogi auum sub C. Cæsare epistolarum, legationum, simul & annuli, curam habuisse: quæ apud nos, vt quidam volunt, Cancellario incumbit. nam mos fuit antiquis annulo (quem Flauius Vopiscus sigillaritium, alij signatorium vocant) testamenta, codicillos, literas, edicta signare: cuius rei causa ait Xiphilinus, in Vespasiano, Domitianum ipsius Vespasiani annulum gestare solitum, vt quæ edicto preciperet, sigillum Imperatoris præferrent:

rent: quod ipse αὐτοκρατορικὸν σφράγισμα vocat. Itaque Procopius, libro primo belli Gothici, Proclum quendam Imperatoris πάρεδρον, siue Quæstorem vocat: quem nullam legẽ per gratiam scripsisse refert, quémq; Imperator Zeno refert Principis rescripta solitũ dictare. Contigit verò nostris tẽporibus Gulielmum Poietũ, Nomophylacem, sordium corruptelæq; reum, parẽtibus foribus primarij auditorij, frequenti Curia, exáuthorari, & magistratu moueri. Quod à me ea causa dictum est, vt intelligant, qui eò peruenerint, eam esse fortunæ vicem, vt quos in cœlum euexit, momento in profundum demergat. Id ipse, Hesiodi more, ad Deum referre soleo. Quamobrem, interrogatus Æsopus quid ageret Deus, sublimes, inquit, detrudit, & humiles extollit.

Magistri Requestarum.

SI quis diligentius considerauerit Præfectorum libellorum authoritatem, eos reperiet summo apud nos in honore fuisse, atque facilè primum locum post Cancellarium obtinuisse in re iudiciaria. mósque primum fuit porrigendi libellos Regibus, cùm iura reddebant: deinde, cùm variis negociis districti essent (vt ferè propagatis regni finibus curæ augescunt) factum, vt semel mense postulationibus vacarent, cum prudentum consilio, quorum maximum numerum habebant. quod si leuiores viderentur, eis subscriberent: sin grauiores, de eis ad Iurisperitos referrent, qui ibi aderant. Demum diuitiæ animos, luxúmq; auxere: & eo tempore Rex totam iudiciariam Cancellarij fidei permisit: qui, ex oriente tot

causa-

causarum multitudine, aliena opera cœpit indigere (vt semper animus hominum, in diuersa tractus, minimè suũ officium facit) duóque creati, qui non, vt nunc, magistri libellorum dicerentur: quibus à Principis aula abesse non liceret, & Cancellarij assessores essent. Postea sancitum, à Philippo, vt in Curia quinque adessent: nempe tres sacerdotes, & laici (vt vocant) duo: quibus vna Curiæ classis constabat. deinde auctus vno numerus: quo etiam tempore Magistri requestarum dicti sunt. postremò duo additi: quibus omnibus ius est censendi, & sedendi in primo tribunali Curiæ, proximo loco post Præsides: eisq́; officiorum cognitio attributa, & earum controuersiarum, quæ ab iis intenduntur, qui in comitatu Principis officio funguntur: à quibus ad Curiam prouocatio est. Solent à Principe creari (quos nostrates extraordina-

rios vocant) quibus nullum ſtipendium præſtari ſolet: hique plerunque in demortuorum locum ſufficiuntur. Hoc magiſterio libellorum, Franciſci Regis liberalitate, donatus eſt Gulielmus Budæus, Galliæ ornamẽtum: ex cuius verbis, potius quàm meis, malo lectorem intelligere, quænã ſint ipſorum partes. Collegium (inquit in epiſtola quadam ad deſiderium Eraſmum) octouirorum eſt: quorum functio, atq; opera, latiſſimè in Republica patet. ſiquidẽ in præſtantiſſima ferè quaque parte magiſtratuum locum primarium, ac numerum, obtinet hic magiſtratus: in quem, beneficio Principis, adoptatus ſum. primum in magno Principis concilio, in Curia centenaria, atq; in omnibus denique Curiis, quæ cauſarum vltimam diſceptationem habent, ſedendi honeſtiſſimo loco, & ſecundum Præſides, ius habet: niſi ſi Princeps, aut Põtifices adſint.

adſint. ſententiæ etiam dicendæ locum antiquiorem obtinet omnibus Conſiliariis. Magnum autem Conſilium vocatur Curia aulæ comes: quã, velut cohortem quandam Iuriſconſultorum, aſſeclam Regiæ, & Prætorij dicere poſſis: cuius coryphæus eſt Cancellarius ὁ νομοφύλαξ. Huius tamen octouiratus præcipuæ & antiquiſſimæ partes ſunt, vt Principi præſto ſint collegæ è cubiculo prodeunti, poſtulationibúſque ſupplicum vacaturo: cuius officij vices in orbem binis, & ſæpe ſingulis, cedunt cum alicqui ordinariam ſeſſionem habeamus in illa æqui, & boni (vt ita dicam) officina, quam Cancellariam noſtri vocant: in qua locus dicatus eſt diſceptandis reſcriptis principalibus, quæ ex bono ipſa, æquoq;, poſtulari ſolent aduerſus iuris ſummi, exactique, ſeueritatem: quibus reſcriptis accedunt preces eorũ ſupplices, qui in legẽ Corneliã de Sicariis.

cariis quidpiam admiserũt, aut alias capitalem rem aduersus leges ausi sunt: quibus veniam, Regis verbis, dare solemus, pœnam suppliciter deprecãtibus: siquidem venia & misericordia digni esse videantur. Regias autem venias dare possumus & bini, & singuli: si singulos nostrûm sedere contigerit. quod quotidianæ est functionis in hac vrbe, & ad aulam in ædibus Cancellarij. Hæ porrò functiones, quamlibet multiplices, honorarias magis, atque voluntarias vices habent, quàm necessarias, atque hominum vendicatrices: nisi si maiores ad causas, argumentosioris{que} instrumenti aduocemur. quod non sæpè euenit. Hæc Gulielmus Budæus. Hoc quoque magistratu functus est, sub seuero, Papinianus, iuris asylum dictus, & Vlpianus huius discipulus, à nonnullis à libellis, ab aliis ad libellos dicti, scriniorum Magistros, vel Princi-

pes,

pes,eos multi vocant. Iustinianus Principes sacri laterculi, vel sacrorum scriniorum Magistros.

Parlamentum.

ETsi non dubito à plerisque multa scripta esse, quæ ad huiusce Curiæ amplissimæ cognitioné pertinere posse putarentur,tamen officij mei semper existimaui, quoad fieri potuit, nihil omittere, quod ad ipsam ornandam spectet: ex qua, veluti ex Pharo, ignem per totam Franciam micare constat. Postea verò quàm Franci ea loca tenuerunt,vbi nunc Francia est, à quibus initiis creuerit, altius est repetendum. Primùm itaque Reges Franci,vt omniũ sibi animos conciliarent, ius dicere solebant,& orbos liberos,viduas, tenuiores à potentiorum iniuria liberare: quod

quod ſæpè Carolũ octauum feciſſe legimus. atque Homerus ius dicentes, & fas conſtituentes Reges vocat, & Adrianus Imperator centum iudicibus, qui pręſente ſe cauſas audirent, cùm ſecederet, cẽtum ceſſas extruxit: quæ poſtea in vrbis iuſtæ formam creuere. Poſtea Reges à iuriſdictione abſtinuere: & Pipinus proceres diiudicandis controuerſiis conuenire ſtatuit nullo certo, aut tempore, aut loco. deinde, cauſarũ creſcente multitudine, bina Parlamenta haberi cœpta ſingulis annis. Poſtremò à Rege Philippo Pulchro, vel, vt Gaguinus ſcribit, Huttino huius filio, Curia, quæ vaga fuerat, Lutetiæ Pariſiorũ domicilio locum accepit, quam Regiam Clodoueus ſibi elegerat. tum quoque Baſilica extructa ab Engerrano Marignio, ſummo fiſci Præfecto, & Longæuillæ Comite, in inſula fluminis Sequanæ: vbi iudicum illæ claſſes coguntur: ac

ac Parlamentum illud ſupremorum Iudicum collegium dictum: cui nomen à verbo Francico *parler*, vt huic à παραλαλεῖν deriuatio eſt. neque deſunt, qui incertiores huius verbi etymologias adferant: quas lubens omitto. Nihilominus tamen G. Budæus primæ illi decuriæ Parlamenti nomen inditum ſcribit. Baſilicæ verbo de induſtria vſus ſum, M. Vitruuium ſequutus: qui Baſilicam ita ædificari debere ait, vt in eius ſuperiori parte iudicia, in inferiore negocia exercerentur. Latinè forum dixeris. Palatium noſtri appellant: quod primùm habitationi Principis dicatum eſſet. atque anno M. C C C I I. (in annorum tamen numero variatio eſt) Parlamentum Lutetiæ, & Tholoſæ inſtitutum, vt quidam exiſtimant. Nam eam fuiſſe fori extruendi cauſam Suetonius ſcribit, hominum, & iudiciorum multitudine: quæ, non ſufficiente vno, ſecundo

do egere videbatur. Itaq; Curiæ supremæ tanta est apud Francos authoritas, vt Senatus Romani speciē habeat, Regésque, bellum suscepturi, authorem fieri Curiam velint, & in eius acta referri omnia ad Rempublicam pertinētia: apud quam edicta recitantur: quorum nulla ratio prius habetur, quàm in supremo illo concessu promulgata sint. Nouissimè verò Cæsar, Quintus, Imperator, conditionum pacis, cum Rege initæ, authorem fieri Curiam voluit: ne essent postea antiquabiles fœderis leges. Sic Romæ leges, in æs incisæ, propositæ & perlatæ dicebantur: neq; eas tolli fas erat: stāteq; Republica quicquid ab Imperatoribus, id est exercituum ductoribus, statuebatur, Senatusconsulto confirmari oportebat. Dion quoque author est Traianum in Senatu ratam firmámque habuisse pacē cum Decebalo initam. Atque in Curia

summa

ſumma in verba Principis adiguntur Magiſter Equitũ, maris Præfectus, Tribuni militum, prouinciolarum Præfecti, & Iuridici, codicillíque magiſtratùs recitantur aſſenſu cognitoris Regij: quinetiã ipſa nullis legum formulis adſtricta eſt, inquirendíſque criminibus, & iudicandis, præeſt, vt Areopagus Athenis, & Senatus Romanus poſt oppreſſam à Iulio Cæſare Rempublicam: eíque ſtandum, quod ab ipſa definitum fuerit: cuius ſententiæ Areſta dicuntur: à quibus ad Principem, moribus noſtris non prouocatur: ſed, Regio edicto, licet, erroris ſpecie, areſtum in diſquiſitionem reuocare. Primiſque temporibus vnicum fuit ſupremum tribunal, ex variis hominum generibus coactum duodecim Franciæ primoribus, regni proceribus, Antiſtitibus, iuriſperitis, ipſi tamen Antiſtites Curia pulſi, vt ſacris vacarent; præter Diuorum Diony-

sij & Germani Abbates, alij tamen, loco antistitis Germani, Episcopum Parisiensem collocant. Crescente porrò causarum multitudine collegium illud in varias classes, vel decurias diuisum est: sicque eas, Suetonio authore in Augusto cap. 32. & in Galba cap. 14. appellare potes. In prima classe, constitutione primùm Philippi, & multis annis postea Caroli Septimi, quindecim laici (vt vocant) & totidem sacerdotes fuere, non numeratis quatuor Præsidibus, veluti prohedris, & moderatoribus: quibus, in rogandis sententiis, à Consiliariis assurgi consueuit, atque ab omnibus, cùm Curiam ingrediuntur præeuntibus apparitoribus, aut ea egrediuntur: quemadmodum mos erat Romę vt, introeunte Consule, lictor admoneret populum vt animaduerteret, cederétque aduenanti Consuli. Suetonius, in Iulio C. LXXX. Quinto Maximo.

mo suffecto, trimestríque Consule introeũte, cùm lictor animaduerti ex more iussisset, ab vniuersis conclamatũ est non esse Consulem eum, post remotos Cæsetium & Marullum, Tribunos. Isq; honor, apud nos, non, nisi iã longo vsu forensi exercitatis, mandari solet gratuita Principis munificentia. Romę fuit Senatus Princeps: qui, non vt hic, sentẽtiam rogaret Senatores, sed à Censore primus sententiã regaretur, & ad quem literæ publicè ad Senatum missæ perferrentur: qualis Valerianus Maximino imperante. Secunda inquisitionũ decuria sacerdotibus quatuor & viginti, & sexdecim, vulgò laicis vocatis, cõstat: quæ in tertiam subdiuisa est à Carolo septimo quarũ cuique additi Præsides duo. Quarta à Francisco Rege conscripta (nouam appellãt) atque quinta quã Domanij classem dixere: quòd ad eam prouocatione causæ canonariæ deuol-

uantur. Sexta eſt libellorum Magiſtrorum: quæ, ante ampliatum numerum, tertiam ſedem ſibi vendicabat: de qua iam à me pluribus. Septima Recuperatorum palatinorum: qui cauſas iudicăt miniſtrorum Regiorum, Conſiliariorum, aduocatorum, cognitorum, ſodalitiorum aliquot, Pontificum, Curiæque apparitorum, à qua, atque à ſexta, ad primas illas ſummæ iuriſdictionis claſſes prouocatur. Fuit verò tempus, quo Curia centenarium numerum nõ expleret additis duodecim Frăciæ primis, & octo libellorum præfectis: at Franciſcus Rex numerum auxit adſcriptis hiſce maiorum gentium Conſiliariis, primò viginti, deinde duobus & triginta, & in eas, vt diximus, decurias diuiſis. Franciſco vita functo HENRICVS illam Conſiliariorum turbam ad numerum priſtinum redegi: atque, vt viam præcluderet per gratiam & præ-

præmia tantam dignitatem ambientibus, non, nisi probatos & doctrina, & moribus, quíque trigesimum annum attigissent, in Curiam cooptari studiosè cauit, non sine antiquorum exemplo. Nam fuit lex annalis, vel annaria, Romæ: quæ præscribebat Romanis quænam esset ætas legitima ad petendum magistratum: atque Augustus iudices à trigesimo ætatis anno allegit: idémque affluentem Senatorum numerum (quos abortiuos vulgus vocabat) ad modum pristinum, & splendorem, reuocauit: & Alexander Seuerus eorum nomina, quibus magistratus mãdabat, solebat in albo proponere, vt ipsorum virtutes, & vitia innotescerent, & quo quisque honore dignus esset, populi iudicio exploraret. Demum solenne est XIX. Calend. Septemb. iustitiũ indicere, Principis diplomate: quod pridie Idus Nouembris remitti solet:

quo die causarum patroni, & cognitores, in verba Curiæ adiguntur. ne quod verò tempus periret à iurisdictione, atque ad prouocationũ illam colluuiẽ exhauriendam, quæ ad Curias deuoluuntur, sancitum vt partim supremæ Curiæ Præsides aliquot, adhibitis tredecim Consiliariis, octo vocatis laicis, & quinque sacerdotibus, controuersiis ciuilibus, & maximè capitalibus diiudicandis præessent: partim conuentus iuridici agerentur in vrbe Regio rescripto designata. Magnos dies appellant: constantque supremarum Curiarum Consiliariis, à quibus prouocatio non est: hique causas, Principis edicto ad certam summã definitas, iudicant, & Præfecturarum Regio diplomata comprehensarũ. Denique omnibus Consiliariis sententiã dicendi ius est (opinare vocant ab opinionum disquisitione) cùm à Præside sententias rogantur.

quòd

quòd ſi vtrinque calculi æquales ſint, duo ad alias claſſes dimittũtur, qui ſuã cuiuſque ſententiam tueantur: ſin minor ab vna parte eſt numerus cenſentium, numerantur ſententiæ (vt eſt in prouerbio) & non ponderantur, maiórque pars interdum meliorem vincit. Quanuis, Philippi Pulchri conſtitutione, liberum fuerit Præſidibus, aut ex maioris partis ſententia, aut ex cenſentium & cauſæ grauitate, rem decernere. Cúmque olim agebatur de aliquo in demortui locũ cooptando, collegarũ reliquorum ſuffragiis, præſente Cancellario, Principi laudabatur, qui in alterius locum ſubſtitueretur, & plerunque inuiti ad tantum munus vocabantur: verùm nouiſſimis temporibus factum eſt vt diuitiarum, non hominum, ſit hic magiſtratus. Huic porrò magiſtratuum ordini, veteri Francorum lege, negotiatione eſt interdictum:

vetitúmque ne ea enuntient, quæ communi consensu inter se sanxerint. sícque Romæ lege Clodia, scribis Quæstorum prohibita erat negotiatio: & Areopagitis nefas erat effutire consilij acta: atq; illis prohibitum quicquam à litigantibus accipere, aut Curia abnoctare. Sic summo Heduorum magistratui, qui Vergobretus dicebatur, non licebat eorùm finibus excedere: atque Augustus cauit ne Senatores sine commeatu ex Italia proficiscerentur, præterquam in Siciliam & Prouinciã. Sunt verò causarum genera, quæ primo iudicio apud supremas Curias agitentur, nempe Regaliorum, & duodecim Franciæ Primorum: atque à Iuridici ad eas prouocatio est, pœnámq; temerariæ prouocationis sanctiones Regiæ iubét esse sexaginta librarũ Parisiensium (ita vulgò appellant) solétq; Curia aduersus prouocatorem, perperam prouocanté, mul-

mulctã irrogare: vndè suus illi est mulctarum coactor: exactoré appellat Vlpianus. Sic Nero statuit appellationes à Iudicibus ad Senatum fieri. Tacitus auxit Patrum honorem, statuendo vt qui à priuatis iudicibus ad Senatũ prouocassent, eiusdem pecuniæ periculum facerent, cuius hi, qui Imperatores appellauere. Nam antea vacuum id, solutúmque pœna fuerat. At, quoniam iam à me dictum est criminum cognitioné ad Curias hasce pertinere, non abs re fuerit scribere diuisam esse à reliquis classibus decuriã, quæ rei capitali præest (Tornellam appellant, id est turriculam) in qua sedent alternis vicibus solo trimestri, cum Præside vno aut altero, exceptis sacerdotibus Caroli septimi edicto: quibus Pontificij Canones criminum cognitione interdicunt. Porrò quatuor sunt Amanuenses Curiæ Scribæ tres (graphiarios vocãt) præ-

ter immenſum illum gregem, qui Curiæ eſt ab actis, & apparitorum, ſiue viatorum, cateruā. Itaque cùm Curia Pariſienſis, tam longè propagatis finibus imperij, auſis diiudicandis non ſufficeret, addita Parlamenta alia, iiſque ſuus cuique limes datus. Ea ſunt Toloſanum, Gratianopolitanum, Aquenſo, Burdegalenſe, Diuionenſe, Rothomagenſe: & quod ab vnoquoque definitum fuerit, eandem habet authoritatem, quam Pythagoras apud ſuos. Omnium latiſſimos fines habet Pariſienſe, æqualis tamen cum aliis dignitatis. Curiam Toloſonam inſtitutam volunt à Philippo Pulchro anno M. CCCXX. & poſtea à Carolo ſeptimo renouatam. Quod ad Gratianopolitanam attinet, Vmbertum, Delphinatium Principem, conſtat concilium Iuriſperitorum habuiſſe, qui populis iura redderent. deinde collegio illi Iuriſconſultorum (vt ferè

variant

variant hominum consilia) Parlamenti nomen inditum. Diuionensem instituit Philippus Burgundiæ Dux, cui à morum integritate Boni cognomen fuit. Normani, vt haberent qui domi ius redderet à morte Rolonis eorum Ducis, conuentum iuridicum Rothomagi instituere: quæ Normaniæ metropolis est. scacarium pro statario vocabant: quem per veris & autumni tempus cogi oportebat: cui similis nostris tẽporibus Alenconij fuit, viuente Margarita, Francisci Regis, sorore. Verùm, Georgij Ambasiani, Archiepiscopi Rothomagensis, apud Ludouicum duodecimum authoritate & gratia, conuentus ille, indictitius, perpetuus esse cœpit: nihîlque ab eo Rege prætermissum, quod ab Burdegalensis Parlamenti ornamentum, & dignitatem pertineret: cuius ipse conditor fuit. non desunt tamen, qui huius Carolum septi-

ſeptimum authorem ſcribant. Aquenſem idem inſtituit, cùm prius à Comitibus Prouinciæ conſilij nomen nacta eſſet.

Procurator generalis Regis, & duo Aduocati Regij.

COnſtat hoc Triumuirorum collegium Aduocatis duobus, & Cognitore vno: quo ſubſcribente criminum perſecutio & animaduerſio fit: cõſtitutiones, edicta, & diplomata promulgãtur, & in Curiæ acta referuntur: adhæc, vt Tribuni Romani, interceſſionẽ, &, vt Augures, obnũciationẽ habet, & in vnaquaq; Præfectura Procognitorẽ. Subſtitutum vocant. Hanc verò aduocationem Regiam, gentes Regias vulgò appellãt. Nam mos eſt apud nos gentis appellatione multitudinem, vel colle-

collegium ſignificare, vt gentes iuſtitiæ, gentes eccleſiæ, gentes libellorum palatinorum, cùm recuperatores illi palatini nominantur, & gentes tenentes Curiam Parlamenti: quod ſæpius edicta Principum continent.

Magnum conſilium.

IN hoc vnũ incubuerunt Franci Reges vt quos bonis moribus, virtutibus plurimis, doctrina præditos & ornatos viderent, illis honores dignitatéſq; conferrent: illis legationes obeũdas traderent: illorum prudentiæ rerũ ſummam committerent: denique in illis collocatam vellent omnem totius regni maieſtatẽ: tametſi nobiles Franci ita perpetuò à literis abhorruerint, vt illis literarum ſtudium ſordidum videretur; quorum liberi, cùm eius ætatis eſſent

essent vt laborem equestrem ferre possent, familiis Principum, & procerum addicebantur: vbi aliquot annos, quoad pubescerent, equitandi, & venandi studiis dediti, cùm ex ephebis excessissent, militiæ totos se dabant. At nunc Dei primùm, deinde Francisci Regis benignitate in literatos, literarúmq; studiosos, quod antè vitio vertebatur, nunc laudi tribuitur. Itaq;, post Curias institutas, Reges Franci consiliũ hoc aulicum ambulatorium, atque aulæ asseclam coegerunt: quod Magnum ab authoritate vocarunt: cuius caput est Cancellarius: quod initio monstruum fuit, ad idque referre solebat Rex de rerũ summa. Verũ, cùm Carolus octauus cognosceret Cancellario tantũ otij non esse vt implicare se posset pluribus negotiis, edicto statuit vt, cum Cancellario & libellorum Magistris, septem & decem Consiliarij crearentur laici

(vt ap-

(vt appellant) & ſacerdotes. poſtremò Ludouicus duodecimus Antiſtitẽ vnũ adſcripſit, & Conſiliarios duos, & Secretarios totidem: quorum vnus actuarij vice fungeretur. His authoritas ea ſumma data, quæ ſupremis Curiis quos ſemeſtri tantùm, alternis vicibus conſilio adeſſe oportet, ſicque Auguſtus conſilia ſemeſtria inſtituit (Xiphilinus συμβούλους ἐς ἑξάμηνον vocat) cum quibus ipſe de rebus ad Senatum referendis antè tractabat. Diſceſſuris verò domum ſtipendia à Rege præſtantur multò maiora, quàm Curiarum Conſiliariis, quæ ſupremam cauſarum diſceptationem habent: quibus non licet conſilium hoc aulicum ingredi, nec hiſce viciſſim Curias. In ſumma à Prætoriano iudice ad Curiam hanc prouocatio eſt in cauſis ciuilibus: ad quam, Principis diplomate & legibus, cauſæ multæ mandari ſolent, & maximè

quo-

quoties inter duo ſuprema tribunalia de ſuæ iuriſdictionis finibus eſt controuerſia, vel aliquis aduerſarij apud eas gratiam reformidat: atque, Franciſci edicto, Præfecturarum eccleſiaſticarũ iura controuerſa huic iudicũ decuriæ attributa, ſuus quoque Præſes datus Vido Bræleus, vir variæ & lectionis, & doctrinæ. Adhæc Cognitor & Aduocatus regius. Cogitur verò conſilium hoc hora ſeptima, & à prandio tertia: at decima, & quinta remitti ſolet.

Balivi & Seneſchali.

QVando iam eò ventum eſt vt nobis de iuridicis dicendum ſit, cõmodum facturus videor, ſi prius oſtendero quo iure vtantur Franci, deinde de iuriſdictionum varietate paucis diſſeruero. Vtuntur verò iure partim mo-

moribus constituto vel introducto, vt Iulianus Iurisconsultus appellat, partim legitimo (scriptũ vocant) hinc illa prouinciolarum diuisio in iuridiciales, & eas, quę iure in mores recepto vtuntur: hoc est iure ciuili Romano, vel consuetudinario, administrantur. Apud eos quoque iudicum quatuor sunt decuriæ. Vna est infimorum. Maiores appellant, à verbo Germanico Meier (quod Præfectum significare ex Beati Rhenani sententia diximus) Latinitatis studiosi Demagogos, vel populi Magistros, vt olim Dictator Romæ dicebatur. Altera est habentium merum imperium: vt sunt iudices Castellani: his enim verbis nobis vtendum fuit. Tertia est ad supremas Curias conuenientium: de quibus hoc loco. Quarta supremorum tribunalium. Sed, vt ad rem veniamus, mihi semper dubiũ fuit Baliuíne & Seneschali inter paludatos an

inter togatos ſint numerandi: quòd diſcrimine apud Francos hoc magiſtratu funguntur viri militares & togati: de quibus, vt de pleriſque noſtris rebus, in tanta præſertim ſcriptorum inopia, nihil certi adferri poſſe puto: licet non deſint, qui ſcribant eorum primas partes fuiſſe vt euocatos ad bella ducerét, eo maximè tempore, quo nondum ſtipendia perſoluerentur militibus: cuius rei apud nos veſtigia ſuperſunt: cùm ſcilicet regio edicto euocatio fit. Ad etymologiã quod attinet, quidã dicunt Sen, vetus verbum, iuſtitiam ſignificare, & Scalcum Præfectum, atque dici quaſi iuſtitiæ præfectos. ſed diuinare eſt. Hi porrò, Philippi Pulchri conſtitutione, aliquid per vicarios agere prohibebantur (niſi morbo aut iuſta occaſione impediti) vel aliquod munus accipere, quod vel ad edulium vſum pertineret, contra Vlpiani ſententiam ex.

Am

Antonij epiſtola: dicebátque Peſcennius Niger iudicem nec dare debere, nec accipere. Itaque Carolus ſeptimus, poſt Anglos Francia Pulſos, edicto ſanxit, cùm ageretur de Iuridico in locum demortui eligendo, ſuffragiis Patroni, & Cognitoris Regij, & Iuriſperitorũ, prius tamen iuratorum Principi, ederetur vir frugi, cui magiſtratus committeretur: quem extra ſuæ præfecturæ terminos habitare leges non ſinebant. Olim verò moris erat Iuridicis Subiuridicos ſibi eligere: ſed, vt variant humana & breui momento rectè ſtabilita ruunt, ipſis poſtea Regis libito Suppræfecti dati: qui diſquiſitis ſententiis eligebantur, eóſque docturæ, vel ſubdocturæ, inſignibus ornatos oportebat; hí'que, vt Iuridicis, annui loco ſtatum & præſcriptum fuit ſtipendium ex Principis fiſco, vt abſque vlla ſordiũ labe ius dicerent, præter iudicandi

ſportulariam mercedem (vocant διαςικὸν alij) ſicque Seuerus ſuis aſſeſſoribus ſalaria conſtituit. quinetiam, Francorum legibus, illis minimè licet mercaturam exercere: quòd omnis negotiatio, etiamſi copioſa, illis ſordida videatur: vt apud Theſpienſes turpe cenſębatur artem didiciſſe, vel aruo colendo operam dediſſe. At, quoniam iudicē oportet amoris pariter, ac odij, gratiæ & iniuriæ obliuiſci (ea enim ſolent aciem oculorum pręſtringere iudicibus, & maximè apud ſuos egentibus) Philippi Pulchri & Caroli quinti conſtitutionibus prohibitū eſt quem ſuæ patrię Iuridicum fieri, Cleonis exemplo: qui magiſtratum initurus, amicis vocatis teſſeræ amicitię renunciauit: quod nullum probum iudicem diceret, qui amicorum aliquam rationem habendam putaret. Contrà Themiſtoçles, Magiſtratum ſuſcepturus, amicos hortatus eſt,

eſt, eius opera vterentur: ſiquidem veniſſe tempus dicebat, quo ſe amicum profiteretur. Et certè cauſa eſt vt peſſimo publico honoratos, potius quàm doctos, liberos noſtros velimus, & ad ius ciuile diſcendum illotis manibus rapiamus: ex cuius ſtudio breui ſperamus vt ad maximas facultates gloriámque perueniant. Quarundam verò cauſarum propria & peculiaris cognitio Iuridicis eſt: nempe canonis Regij locandi, euocationis, clientes Regios in fidem admittẽdi nobilium lites diiudicandi, illíſque tutores, & curatores dandi: ad eóſque pertinent lites ędium ſacratum, Regis liberalitate & munificentia dotaturum, vt ſartæ tectæ conſeruentur: tum ſi de cuiuſuis reſcripti Regij viribus agatur. Ad hæc quædam crimina ſuo iure ſibi vendicant: quæ priuilegiaria vulgò appellant: veluti ſi publica fides violetur, de vi armata

disceptetur, aliquot læsæ maiestatis crimen admissum sit: ab hísque ad suprema tribunalia prouocatur: apud quæ ipsi in verba legitima Principis sacramento adiguntur: neque antè, moribus nostris, stipendia persoluuntur magistratus ineuntibus. Sic scribit Asconius judices solitòs Romæ in leges iurare, vt obstricti religione melius iudicarent: iurabántque se citra discrimen ius vnicuique reddituros. Est apud Cæsarem Vergobreti Heduensis mentio: qui erat apud eos summus magistratus. hodie Vierg Heduenses nuncupant: vnde Vigerios appellatos quidam putant, literarum mutatione, incerto fortè iudicio: alij Vigerios, quasi vicarios Principis, dictos putant: quéadmodum Vicereges, pro vices regias gérentibus. Itaque hosce Iuridicos Proconsules, aut Præsides, dici non posse cum G. Budæo contenderim: tamet-

metsi eos iudices præsidiales vulgò appellant. Nam, vt ait Macer Iurisconsultus, appellatione Præsidis & Proconsules & Legati Cæsaris continentur. Prætores quidam appellant impropriè: quòd apud nostros non sit publici & priuati iuris potestas, vt apud Romanos. G. Budæus Iuridicos, & Præfectos vocat, eorúmque Iurisdictiones Præfecturas: quæ dicuntur, teste Festo, in quibus ius dicitur, & nundinæ aguntur. Diœcetæ quoque dici possunt, & diœceses Præfecturæ: quod verbum ecclesia Romana vsurpauit.

Thesaurarius chartarum.

CHartophilax, vel sanctiorum scriniorum Præfectus, curam habet monumentorum ad Regnum pertinentium: quæ ad sacellum illud Palatinum Lutetiæ seruantur. Eo munere auum, patrem, fratrem, functos ait G. Budæus, alter seculi nostri Varo. at ipse bibliothecæ Regiæ præfuit, quam Blesis confecerunt Principes, missis hominibus, qui ex Italia, Græcia, atque propè vniuerso orbe, magnis sumptibus libros conquirerent, & adhibita summa diligentia exscribendos curarent.

F I N I S.

IN-

INDEX CAPITVM.

INDEX VINCENTII LVPANI DE MAGIstratibus Francorum.

Magnus

VINCENTII LVPANI
LIBER II.

FINIS.



